50

JOAN. ÆGID. EUTH. M. D.


AGONISMA
DE
HYDROPE
CURIOSUM.
AD
RECENTIORUM MENTEM
DELINEATUM.



HAGÆ COMITIS.

Apud NICOLAUM WILT.
MD. C. C.


WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY



SERENISSIMORUM DUCUM
BRUNSVICENSIUM ac LUNE-
BURGENSIUM

CONSILIARIO

MAXIMÆ FIDEI INTIMÆ-
QUE ADMISSIONIS.

Atque

RESIDENTI

APUD PRÆPOTENTES DO-
MINOS ORDINES BELGII
CONFOEDERATI.

NOBILISSIMO AMPLISSIMO-
QUE

DN. VALENTINO DE
S I E G E L.

FAUTORI ET ADIUTORI MEO
OPTIMO.

CULTU ET HONORE PERPETIM
DIGNANDO.

DEDICATIO.

Salutem & Felicitatem in JESU perennem!

Quod Ariſtides, nobilis quondam Rhetor Atheniensis, perſapienter tradidit & inculcavit: Viros multæ exiſtimationis ac auctoritatis, *DEDICATIONE* principaliter excipiendos eſſe.

Hoc, noſtrâ adhuc obſervatur ætate, quapropter *TIBI NOBILISSIME DOMINE!* Qui annos ultrà ſex & vigin-

viginti Hagæ Comitis, SERENISSIMORUM TUORUM DUCUM juſſu, ſedem miro cum applauſu fixiſti, inque negotiis ac congreſſibus multifariis, cum PERILLUSTRIBUS ET PRÆPOTENTIBUS DOMINIS ORDINIBUS.

NEC NON,

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO MAGNÆ BRITANNIÆ REGE

GUILHELMO III.

Pro totius Orbis Chri-

ſtiani ſalute, jugiter TE CONSILIARIUM Perſpicacem, Conſummatum, ad alta & excellentia, peculiari naturæ favore deſtinatum, præſtitiſti.

Laudes Tuas immortales, NOBILISSIME DOMINE! ſi ebuccinare conarer, quid agerem aliud, quàm Solem facibus irem illuſtratum

Attingo haud; ſatis eſt, Te tua facta probant.

Pro explorata interim

rim Tuâ in me propenſione, chartaceum hocce Munusculum, veluti perpetuum & publicum χαριστήριον Cippum, Tibi Nobilissime Domine! antiquiſſima cura erigere decrevi, cum omnigenæ proſperitatis voto, indubitata ſpe fretus, Te favorabiliter ſuſcepturum.

Servet Te Deus, bonorum omnium Dator, quo diutiſſimè animo

& corpore valeas, vitæque tandem ſatur:

Det Tibi tranquillè, det ſine morte mori.

Scribebam feſtinâ manu Hagæ Comitis Idibus Novembris inter morbos multi ſudoris.

NOBILITATIS TUAE

Obſervantiſſimus

J. Æ. EUTH. M. D.



PRÆFATIO

JOANNIS ÆGIDII EUTH.

PRodit nunc BENEVOLE LECTOR! AGONISMA MEUM DE HYDROPE CURIOSUM, renatum, renovatum, terque recuſum, (optarem munde abſque mendis, quæ, pro benevolentia tua perſpectiſſima emendandæ,) cum ob Deſiderantium copiam, tum Exemplarium penuriam, contra expectationem meam.

Si TIBI non arriſerint omnia & ſingula; at animus tamen promtus & apertus inſerviendi, forſan non diſplicebit, alioquin πολυθρύλλιτον in confeſſo:

** *Pro*

Pro captu Lectoris habent ſúa fata libelli.

Conatus indeſinenter in laude, effectus in caſu; hoc exulcerato inprimis ævo, ubi omnes ſapiunt, omnes cenſent. Imo, qui ſuaviter vivere vult hâc in vitâ, ſine calumniâ & invidiâ, is perinde facit, ac qui avet clariſſimo in ſole, ſine umbrâ verſari. Perdifficile, ita ſe gerere in cunctis, ne quid erres. Τὸ μὲν μηδὲν συνόλως ἁμαρτάνειν, ἴδιον Θεῦ.

Nîl ſcio, nîl poſſum, nîl ſum quoque, quod tamen eſſe,
Scire & poſſe aliquid dicar, id omne DEI *eſt.*

Verùm enim verò, nonnulli noxiæ dediti πολυπραγμοσύνῃ, ex inſanabili quodam ſcribendi cacöethe, operoſè occupati ſunt, in compilandis monſtroſis Voluminibus & Scholiis mancis, enodandis ridiculis Anatomiæ, Chymiæ & Medicinæ tricis, quas ego cum Eorundem veniâ ac pace intrepidè ul-

cera

cera nuncupo cacöethica, ac excrementa Apollineæ artis virulenta, nam

Vilius haud quicquam, quam ſcire &
diſcere tricas.

Harum tricarum acceſſione, Ars Medica potius oneratur, quam ornatur atque amplificatur. In ſcholis ac Academiis, uberrimi ſæpe quæſtus cauſa, diſcentes negligere perperam, eſt quaſi corrumpere Virgines, ultima tradidit antiquitas:

Non eſt diſcipuli res perniciofior ullâ,
Quam Præceptoris perpera vita ſui.

Bene naſci præclarum: Bene educari præclarius: Reſpondere vero Parentum, Præceptorum atque Conſanguineorum expectationi, præclariſſimum, divitiisque anteponendum cunctis. Certe coeca & prope amens Eruditio illa, quæ res propinquiores & quæ ante pedes, etſi neceſſariæ magis ſunt,

tam neque videt, neque videre vult, quàm remotas & frivolas otioſe perveſtigat, vel prorſùs impoſſibiles molitur res, ab omni ſanâ recedentes ratione, imitantur peniſſime *Archimeden*, *Architam*, *Dædalum*, exîn Scepticismus, Orbis literati atrociſſima peſtis, diſſidium & diſſenſio.

Scorpius è terra etiam in Cœlum tranſlatus, interque ſidera collocatus, ſuam tamen retinet malignitatem atque venenatam agendi vim, cauda te ferit obliqua. Sic quoque inglorius Sciolus, vel ignobilis Zoilus, ſuos tantum deformes amat fœtus:

Quippe eſt mos homini, quicquid ſibi fecerit ipſe,
Vile licet, maneat, comprobat ipſe tamen.
Nolo velis rerum quicquam laudare tuarum;
Alterius niſi ſint ore probata prius.

Virum decet ingenuum ac Cordatum, pauca ac utilia conſignare, vera loqui, non falſa pro veris, perſpicaci

caci obtrudere Orbi, fraudibus, technisve uti, ad acquirendam inanem gloriolam, immanem belluam, immortalitatemque umbraticam:

Odi inferorum januis atrocius,
Qui corde condit versipellis ac duplex
Diversa ab istis, ore quæ promit suo,
Fraudum involucra & tortuosos tramites.

DEUM ipsum semper præsentem adesse existima, in omnibus quæ agis. Ehodum BONE LECTOR! ut nunc seculi nostri sunt mores, æstimandus non librorum numerus, sed pondus; non prolixitas, sed brevitas, ingentem creans voluptatem, legendique adaugens aviditatem, jactatur vulgo, liber magnus, magnum malum, hic ergo libellus, si malus, parvum saltem erit malum. Natura paucis ut contenta, ita & veritas:

Vis dicam Tibi veriora Veris?
Miserum est aliorum incumbere famæ.

Philiatri ſæpicule deſides, Practicique præcoces, in Academiis muſcas quando captarunt, cumque umbris digladiati, crudam tunc protrudunt praxin, multorumque Mortalium eheu vitam! libitinæ conſecrant, ſcire quæ debebant, neſciunt, per ingenii paupertatem & tarditatem. Papæ! tardis mentibus, nec virtus, nec ſcientia committitur, ut in bello bis peccare non licet, ita nec in Medicina morborumque curatione. Ægrotantium viſitatio, ſit reſtauratio, Debilium refectio, feſſorumque ſpes certa. Magnæ interim Virtutis eſt opus, non abduci fallaciis, non ſeduci blanditiis, non frangi imperiis.

Proprio Marte excogitatum, nolle adverſus Adverſarios & Ariſtarchos mirabiliter moroſos propugnare, miſerrimis miſeriores pronuncio atque Anticyras navigare jubeo.

Cum tua pervideas oculis male lippus inunctis,

Cur

Cur in Amicorum vitiis tam cernis acutum,
Quam aut Aquila aut ſerpens Epidaurus.

Cæterum fungus una natus hora, marceſcit intra duas; at Plantæ creſcentes tarde, firmiores ſunt, transplantandæ tamen quandoque, ne à ſua ſpecie virtuteque deſciſcant:

Vidi lecta diu & multo ſpectata labore,
Degenerare tamen, ni vis humana quot annis
Maxima quæque manu legeret.

Aromata efficacia odorem revera aliquem affricant tangenti, ſic docti & modeſti auram aliquam ſuæ virtutis. *Theſtorites*, ſola notus impudentia, nunc clam, nunc palam, alienam lacerat famam, veluti latens Vipera, in abſtruſo ſua coquens Venena, inque iis, ferales CURIOSIS intendit extruere nidos, ad Garamantes & Indos cum univerſo ſuo aſſeclarum abeat choro,

ſpreta ſimul jejuna malevolorum calumnia; Ingeniis ego felicioribus, præclara Eruditione, ſublimitateque judicii præditis, libenter absque pudore ullo, me ſi devicerint, cedam, triti illius memor:

Si deſint vires tamen eſt laudanda voluntas,
Qua quoque contentos auguror eſſe Deos.

Porro legentium minime plauſum, ſed proficientium ſummopere quæſivi fructum, atque Φλυαρίαν devitavi; quæſita diſcamus jugiter, inventa, nondum, quæramus alacriter:

Nam vitiis nemo ſine naſcitur, Optimus ille eſt,
Qui minimis urgetur.

Fanatici vero Parochi, luto ab infima cooperiendi plebe, ſe hic extricare allaborant, quorum λέξις & confeſſio, pura puta eſt confuſio, optanda illis mens ſana atque concordia; diſcordiam cum vitiis Auditorum potius habeant,

quam

quam cum futilibus & commentitiis rebus, peregrinentur ut apes, non ut araneæ; Pacem jugiter colant ſat noti Paſtores, DEUS que pacis ac Amoris erit cum Illis; Pacificorum vero raritas, pretium facit, utinam & recte ſe ſe haberent cætera; pervagatum: Bene docere & male vivere, eſt ſe ipſum viva voce condemnare. Atque nemo periculoſius peccat, quam qui peccata ſua defendit, ſic immenſam DEI miſericordiam, revera Lernam facit Diaboli. Imo ſacrilegii inſtar eſt, in terra quærere, quod in ſublimi debeas invenire:

Eſto probus ſaltem, ſi non potes eſſe peritus;
Quod fecit, ferat, hæc fuerit directio juris.

Faxit denique ὑγιείας καὶ πανακείας AUCTOR CHRISTUS JESUS, ut unice in ſui Gloriam Hydropicorum miſere decumbentium ſalutem & εὐταξίαν, AGONISMA MEUM DE HYDROPE CURIOSUM vergat & excreſcat, Vale feliciter ac

ſave conſtanter DEVENERANDE LECTOR! minus ἀκριβῶς, verum παχυλῶς à me prolata, boni conſule, atque ALTISSIMO clementer annuente, appoſite à me expecta tempore, abſtruſiora, haud ſorte improviſa; quoniam

Sors mea DEXTRA DEI, *ſors ergo nulla nocebit.*
Seu bona, ſeu mala ſit, ſors mea DEXTRA DEI.

Dabam Hagæ Comitis Anno Epochæ Chriſtianæ 1697. Die 21. Octobr. quo hilarati paſſim ſunt Populi; at modice tamen PACIS RYSSWICENSIS PUBLICATIONE, proin cecini:

Pax melior Bello, Pacem te poſcimus Omnes;
Profuit HIS; ALIIS, *quæ nocuiſſe poteſt.*
Propterea nusquam veſtris conſtantia TERRIS.
Pax juvat imbelles; Martia turba Vale.

APPL-

APPLAUSUS

AMICORUM VOTIVI.

IN CURIOSUM DE HYDROPE AGONISMA.

Est homo flos agri, tenuique simillimus umbræ,
Aufugit & si quem credimus esse, fuit.
Mortuus Hippocrates, Polydarius atque Galenus,
Profuit HIS *radix nulla, nec herba recens!*
Quid super est ergo, cum sint obnoxia morti
Omnia, Cur vita hæc est reparanda modo?
EUTHIUS *hocce docet*, Clarissimus arte medendi,
CUJUS *opem invalidi, non sine laude probant.*

Hic

HIC SUMMUM MEDICUM *Nobis commendat* IESUM!
QUI *propria mortem morte fugare potest.*

Præcellentiſſimo Domino Compatri, multis nominibus mihi colendo, in Amicitiæ infucatæ conteſtationem apponere volui.

Johannes Schellhamner. Aug. Confeſſ. Paſtor Senior Hagæ Comitis, per ſingularem DEI *gratiam Annum* ÆTATIS 86. *ingreſſus.*

AD

Præclariſſimum & Experientiſſimum

DOMINUM JOANN. ÆGIDIUM EUTH. M.D.

Pr. Hagienſem & Academiæ Naturæ Curios: Celeberrimum,

AGONISMA DE HYDROPE CUSRIOSUM

Tertio,

Cum foenore luci publicæ conſecrantem.

O'μφαλὸν *Ægidius* perduxit ad ὀφαλὸν, arti
Quæ prodeſſe valent, enucleare ſtudet.
Euthius intrepide perluſtrans ἔνθεα rerum,
Obſcura ingenii ſingula luce videt.

Jam

Jam denſis verſatur aquis, quæ mole frequenter
Rigidius juſto corpora noſtra premunt.
Nam quid aquæ valeant? pandit, quid lymphaque poſſit,
Quæ vitam pariter, perniciemque parant.
Ac non per ſaltum, Vires percurrit aquarum,
In quibus impreſſus ſpiritus ipſe Dei;
Sed docto, lentoque gradu perſtringit Hydropis
Diſtinctas cauſas, quæ latuere diu.
Ignaris oſtendit iter, ſciolosque reduxit
Ad veram Praxin, diffugiendo vagam.
Res ipſas hic tangit acu, praxiſque medullam
Perſpicuo tradit ſed breviore ſtylo.
Quod ſubtile nimis, reſecatque ſuperflua, morbos

Tolle-

Tolere, non vero promere verba
cupit.
Admonet, haud mordet, *Priscos* vene-
ratur & hujus
Artifices secli, ex queis meliora le-
git.
Dum describit Aquas, mediis clarescit
in undis,
Ne quis aquas in aquis, hauriat, ap-
te docet.
Laudat Opus quivis: Tu plura recondere
pergas
EUTHI! consilio, subsidioque ju-
ves.

*In amicitiæ tesseram famæquæ tuæ
haud adversæ constantiam ac per-
petuitatem deproperabat* ὁλοψύχως

Joan. Baptista de Lamswerdé, Phil.
& Med. Doctor Ejusdemque
Facultatis in Celeberrima Colo-
niensium Universitate Professor
Honorarius & p. t. DECANUS.

Quid

Quid ſit dirus Hydrops? centum cur cruciet Ægros,
EUTHIUS *ecce docet, commoda multa tulit.*
Quod, tot centeni non auſi ſiſtere quondam,
Nunc cum laude unus. Digna brabéa feret.

Bonæ ſcævæ ergo Doctori & Ductori Suo apponebat.

B. R. D.



JOANNIS ÆGIDII EUTH.

AGONISMA
DE
HYDROPE CURIOSUM

CAPUT PRIMUM.

De Definitione nominali.

QUanta vitiorum ſit colluvies, quantaque lerna malorum, infirmitatum & Ægritudinum, per univerſum GENUS ADAMITICUM diſſeminata atque diſpalata: Quibus mor-

talium vita, in hoc ſpatioſo mundi theatro, ob labem primævam, quotidie ac ſingulis propemodum momentis, deteſtabilem in modum labefactatur, conſtat ac in confeſſo eſt apud omnes.

Idcirco perrarum, invenire aliquem, qui non in corpore gerat morbum, in morbo mortem, atteſtante *Ovidio*:

Naſcentes morimur, finisque ab origine pendet.

Mox hunc, quod valde dolendum, dira vexat Pleuritis, illum emacerat & immanis exſiccat Phthiſis. Hunc exitialis paſſio corripit Colica, illum truculenta excruciat Nephritis, alium denique abſumit & atterit torvus atroxque *Hydrops*, morbus in morborum cenſu, non infima occupans ſubſellia, *Lucæ* XIV. V. II. Hic enim undique notiſſimus, atrociſſimus & curatu difficillimus, inque BELGIO noſtro ferme ἐνδήμιος, ἀσωτίας ἀμφὶ, quippe tria ſtrenuorum Potatorum ſunt flagella,

Phthi-

Phthiſis, Arthritis, *Hydrops*:

Per quod quis peccat, per idem punitur & idem.

Ἡ νοῦσος χαλεπὴ, ſcribit Medicorum Princeps, *Hippocrates libr. de intern. affectib.* καὶ παῦροι ταύτην διαφυγάνουσι. Morbus gravis eſt, (*hydrops*) & ex quo pauci evadunt. Altas quando egit radices, perque μεθέστασιν exortus, perſcienter *Perſius*:

Helleborum fruſtra, cum jam cutis ægra tumebit,
Poſcentem videas: Venienti occurrite morbo.

Et Aretæus *l.* 2. *de ſign. & caus. diut. c. i.* Hydrops injucundum aſpectu vitium eſt, & toleratu difficile, ab ipſo enim perpauci liberantur: idque felicitate quadam, ac Deorum potius quam artis auxilio. Et Cardanus *ad Hippoc. prognoſt. i. l.* 2. Neque Græci, *inquit*, referunt ſua cura Ægros ſanari: quin imo vix unum inter innumeros evaſiſſe, teſtantur.

Hunc periculoſum & contumacem

tamen Morbum, pro ingenii modulo, ad *Neotericorum mentem*, cum ratiocinativis Pharmacis, ac impigris Experimentis, ſalutariter & haud cunctanter utendis, delineare libuit, probe perpendens: ἀρχὴν τῆς παιδεύσεως εἶναι τὴν τῶν ὀνομάτων ἐπίσκεψιν. Initium doctrinæ, nominum eſſe inquiſitionem, quæ fundata, nemine forſan contradicente, in HOMONYMIA:

Errorum genitrix eſt Æquivocatio ſemper.

Generaliter denotat omnem in quavis corporis parte, lymphæ depravatæ collectionem præternaturalem, non tamen ἁπλῶς, ſed μετὰ προσθήκης, partis morboſæ, cui ſcilicet inhæret: Sic datur

Hydrops capitis, cujus mentionem faciunt. Ephemerides Germanorum *Decur.* 2. *Ann.* 10. *p. m.* 202. Magnus *Wedelius*, Amicus meus antiquus ætatem æſtimandus, quo non utor, ut Floribus, tam diu gratis, quam diu recentibus; paſſim & undique ſuis, in ſcriptis: *Quid*

Quid doctrina prodest? nisi publica scripta supersint.

Emeritus *Stalpart vander Wiele, Observat. rar. p. m.* 109. Eruditus *Lamswerde Observat.* 33. *in armamentar. chirurg. p. m.* 253. Percelebris *Decker Exercitat. med. Pr. p. m.* 656. Indefessus *Pechlin observat. Phys. Med. p. m.* 148. 149. 150. *Meus bohn lipsiæ in circulo anat.*

Ingenio præstans, raris Virtutibus auctus:
Protulit in lucem pignora clarus erit.

Stephanus Blanchard collect. Physico-Medic. cent. 1. *observ.* 73. B. Wepferus *exercit. de apopl. histor.* 13. *p. m.* 376. & *histor.* 14. *p. m.* 398. Et *Promotor* olim meus Trajecti ad Rhenum *Henricus Regius*, Carthesii competitor impiger, *Prax. med. cap.* 13. *p. m.* 57. Isbrand de Diemerbroek *disp. pract. p.* 1. *c.* 28. Fabric Hildanus *observat. chirurg.* 10. *cent.* 1. & *observat.* 19. *cent.* 3. Pawius *observat.* 5. *p. m.* 10. Nicol. Tulp *l.* 1. *cap.* 24.

p. m. 49. & 50. Theodorus Kerckring *observ. anat.* 46. *p. m.* 102. Paul. Ægineta *l.* 6. *c.* 3. Aurel. Severinus *de recond. abscess. natur. p. m.* 183. Theoph. Bonetus *anat. pract. l.* 1. *sect.* 2. *observ.* 45. *p. m.* 112. Zacut. Lusitan. *prax. admir. l.* 1. *obs.* 5. Sennertus *l.* 1. *pr. p.* 1. *c.* 28.

Hippocratem clare & Galenum contrahit arte
Sennertus *Medicis Bibliotheca valens.*

Et

Langius *his nullis dotibus inferior.*

Hydrops tunicæ annatæ *Oculi.* Ephem. German. *Decur.* 3. *Ann.* 3. *p. m.* 4. Persimilem huic observationi, observare mihi contigit *Hagæ Comitis* Die 16. Junii Anno Christi 1696. in filio 19. annorum Bernhardi Suidhofs, Extravasationem seri, intolerabilis prægressa fuit Cephalalgia:

Rebus in angustis facile est contemnere Vitam.

Verum

Verum priſtinæ hunc reddidi ſanitati, dein ſe contulit. Lutetiam Pariſiorum, Pace publicata Ryswicenſe.

Hydrops uteri. Ephemerid. German. *Dec.* 2. *Ann.* 5. *p. m.* 142. 146. Fernelius *l.* 6. *de part. morb. & ſymptom. c.* 15. *p. m.* 230. Andr. Veſalius *corp. human. fabric. l.* 5. *c.* 9. Maurit. Cordæus *com.* 5. *in lib.* 1. *Hippocr. de mul.* Nicol. Tulp. *l.* 6. *p. m.* 369. Regnerus de *Graaf tract. de organ. mul: gener. inſerviend. c.* 8.

Hydrops ſcroti. Aetius *libr. ultim. cap.* 97. Avicenn. 24. *tr.* 3. *c.* 25. Fernelius *p. m.* 218. Fabrit. Hildan. *cent.* 1. *obſerv.* 48. & *cent.* 2. *obſerv.* 56. Auguſtinus Thonerus *l.* 3. *obſ. med. p. m.* 148. 149. 150. Petrus Lotichius *obſerv. med. p. m.* 513. 514. 515. *Rolfinc. in Epit. meth. cogn. & cur. morb. part. l.* 3. *cap.* 9. Ex præmemorato Hydrope, ante ſeptennium & ultra, ſymptomate novo interveniente, videlicet Ptyaliſmo enormi, misere, ſed pie, vitam commutavit cum

morte *Hagæ Comit.* Hagienſis *Poliater* haud obſcurus, *Dominus Arnoldus Boſch*, Amicus percharus. Thomas *Bartholinus cent.* 2. *hiſtor.* 64. & *cent.* 2. *p. m.* 286.

Hydrops penis. Ephemerid. German. *Ann.* 3. *Decur.* 3. *p. m.* 14. Hagæ Comitis & talem annotavi 1681 in Famoſo Gallo de Storp, fraudulenter & ignaviter non fortiter & animoſe diverſas munitante urbes finitimas, (nominibus parco,) hinc *Præpotentum* & *Perilluſtrium Ordinum* juſſu, ſine ullo comperendinatu in carceres projectus, in iisdem per tempus fuit attentus, janitoris autem adminiculo exiit ex his, ſeſe poſtea recepit clanculum Venetias, poſtremo Negropontum, ubi obiit.

Rebus in humanis Regina pecunia nauta eſt,
Navigat infelix, qui caret hujus ope.

Hydrops pudendorum in Gravidis, Ephemerid. German. *Dec.* 1. *Ann.* 3. *p. m.* 394. & 458.

Ovarii

Ovarii muliebris. Ephemer. Germ. *Dec.* 2. *Ann.* 9. *p. m.* 234. & *Dec.* 2. *Ann.* 10. *p. m.* 66.

Tristium muliebrium. Ephem. Germ. *Dec.* 2. *Ann.* 1. *p. m.* 432. Marcellus Donatus *l.* 7. *c.* 7. *p. m.* 689. Schenk *l.* 3. *observ.* 13. *p. m.* 474.

Tubæ dextræ Virginis, Ephemer. Germ. *Decur.* 2. *Ann.* 2. *p. m.* 233. Thom. Barthol. *Act. Haffniens. tom.* I. *observ. p. m.* 432. Clar. Professor Ultrajectinus, Dominus *Munnicks* ante lustra tria centum & duodecim aquæ animadvertit libras Medicas.

Hydrops umbilici. Ephem. Germ. *Decur.* 1. *Ann.* 5. *obs.* 135. *p. m.* 186. Benivenius *cap.* 42. Forestus *l.* 19. *observ.* 33. evolvatur quoque *Anatome mea umbilici curiosa.* Quemadmodum in Hydropicis serosa colluvies non raro per umbilicum excernitur, sic quoque per eundem, materia purulenta sequens consolidat Historia. *Hagæ Comitis* Anno Christi 1697. die 3. Januar. ad Pudicam 38.

annorum filiam Agatham Glaſeram, de tuberculo admodum dolorifico, in ipſo umbilico conquerentem, Petrus Bluſeé Chirurgus mihi Ordinarius accerſitur, appropriatum illi applicat Emplaſtrum, ſed altero ingraveſcit die dolor, in conſilium advocor & ego, Ægram febricitantem & inquietam verbis erigo blandis, locum inſpicio affectum, oppido ulcuſculum lentis ad inſtar majoris offendo cacoëthicum, ſermones cum citato Chirurgo ut moris, occultos ſero & opportunos medicamur ægræ, inquilino clysmate, congruo cataplaſmate, Tinctura balſamica, Spiritu analeptico. Cum jam in ſummo vitæ verſaretur periculo, quarto adaperimus die, in matris, binarumque ſororum præſentia, ſaniei putris, craſſæ, viridis, peſſime olentis, libra ferme una ex umbilico ταχέως effluit, non ſine ingenti commodo. In cauſa namque fuit abſceſſus dextro in hypochondrio abſconditus, ſic plurimum puris quotidie

die emiſſum fuit foetentis, quod ultra tres integros duravit menſes, præter plurimorum tamen Opinionem, Euporiſtis, alimentisque conducibilibus valetudinem recuperavit priorem, atque paulo poſt in matrimonium ducta à Vexillifero Lansberge. Nunquam melius invidos ac Obtrectatores torquebis, quam DEO conſcientiæ optimæ, virtuti gloriæque inſerviendo. Hochſtettero *obſerv. med. decad.* 2. *p. m.* 175. Et Jobo Mekerano *obſ. c.* 23. *p. m.* 150. Talis Θεράπεια non ita ſucceſſit, qualis nunc nobis:

Duc nos, nec ſine Te Deus! *Optime, nos ſine duci.*

Hydrops Embryonis, Ephemerid. German. *Decur.* 2. *Ann.* 2. *p. m.* 63. inque Foetu abortivo. Ephem. German. *Decur.* 2. *Ann.* 3. *p. m.* 298.

Omenti. Ephem. German. *Decur.* 1. *Ann.* 9. & 10. Malpighius *de oment. part.* 2. *p. m.* 232. Marcellus Donatus *l.* 4. *de med. hiſtor. mirab. c.* 21 *p. m.* 430.

Wel-

Welſchius *Epiſagm.* 30. Fabrit. Hildan. *cent.* 3. *obſ.* 62. River. *obſ. communic. p. m.* 393.

Peritonæi. Nicol. Tulp. *obſerv. Med. l.* 4. *c.* 43. *p. m.* 367. Jobus Meker. *cap.* 49. *p. m.* 287. 291. Gerhard. Blaſius append. ad Veſlingium *p. m.* 369. Anthon. Nuck Anatomicus Hagienſis Anno Chriſti 1680. d. 21. Januar.

Meſenterii cum hydatidibus. Ephem. German. *Decur.* 2. *Ann.* 2. *p. m.* 237. Höfferus *Hercul. med. l.* 3. *c.* 2. Nicol. Tulp. *obſerv. med. l.* 2. *cap.* 34. *p. m.* 156. & *l.* 3. *cap.* 32. Riolanus *enchirid. anat. c.* 16. Inſignis Anatomiæ & Chirurgiæ Profeſſor *Ruiſch* Amſtelodami, Fautor meus edecumatus *obſerv.* 25. *p. m.* 83. Afflictus & moerens hic recordor Sereniſſimæ PRINCIPIS E. E. L. Viduæ, Dominæ meæ perbenignæ, quæ gravidam ſe eſſe putabat, ut in primo animadvertebat conjugio, propter menſtruorum ceſſationem, anorexiam, nau-

nauseam, Vomitiones; ventris tumorem, aliaque graviditatis Phænomena; nec ipsis, cum Medicis, tum Obstetricibus refragantibus. Quid accidit? quinto mense PRINCEPS Laudatissima, posthumi loco, post multos exantlatos dolores atque luctus, (sapienti sat,) membranaceam edidit massam hydatidibus refertam, hinc adstantes

Conticuêre omnes intentique ora tenebant.

Brevi intervallo Prælaudata PRINCEPS pia inter suspiria, naturæ persolvit debitum, sit Beatissimæ PRINCIPIS memoria in benedictione.

Hydrops saccatus in auditus. Ephem. German. *Decur.* 2. *Ann.* 1. *p. m.* 425. Spurius Ephem. German. *Decur.* I. *Ann.* 4. & 5. Jacob de Partibus *ad libr.* 3. *Avicenn. cap.* 21.

Ventriculi. Ephemer. German. *Decur.* 3. *Ann.* 3. *p. m.* 44. Joannes Rhodius *obs. med. centur.* 3. *p. m.* 129.

La-

Lazar. Riverius *obſerv. communic. p. m.* 314. Joannes Coſterus Archiater REGIS SUECIÆ CAROLI GUSTAVI. *in Tabul. Med. p. m.* 241.

Lienis. Carolus Piſo *de morb. à ſeros. colluv. ſect. 7. cap. 4. p. m.* 433. *& p.* 439. Jobus Mekeran. *cap.* 6. *obſerv. med. chirurg. p. m.* 456. *et* 461. Thom. *Bartholinus Act. Haffn. obſ.* 13. *p. m.* 23. Et præprimis ex Perſpicaciſſimo Hippocrate *l. de affect. mul. l.* 1. nam

Dulcius ex ipſo fonte bibuntur aquæ.

Ingenioſiſſimus *Peyerus hiſtor. med.* Celſus *l.* 3. *cap.* 21. Aretæus *l.* 1. *de morb. diuturn. c.* 14.

Hepatis. Galenus. *l.* 6. *de loc. & de facultat. natural. c.* 7. *et l.* 6. *de loc. affect. c.* 1. Hunc Galenum alacriter poſteriores ſecuti ſunt Græci, & Arabes (ſolo duntaxat Averrhoë excepto,) quin & alii populi, quorum certe innumerabilis exſtitit caterva, ſilentii peplo potius involvenda, quam enu-

enumeranda; Omnem ſemper exoriri *Hydropem* ex hepatis deliteſcente labe ac pernicie, illi apertiſſime titubarunt & ceſpitarunt, è fida ſatis ſuperque elucescit Relatione, Cadaverumque ſedula deſſectione & inveſtigatione, accuratius tunc edocti, inque dies certiores facti ſumus:

Virtutem poſuere Dii ſudore parandam:
Virtus nam vidua eſt, quam non Patientia firmat.

Pectoris, Ephemerid. German. *Decur.* I. *Ann.* 4. *obſerv.* 29. Petrus Poterius *cent.* 1. *p. m.* 12. 13. Hollerius *commentar. in Hippocr. p. m.* 621. Wepfferus *exerc. de Apopl. p. m.* 287. Nic. Tulp. *obſ. med. l.* 2. *c.* 128. Hercul. Saxon. *l.* 2. *p. m.* 152. à Lamswerde *append. armament. chirurg. p. m.* 252. Zacut. Luſitan. *pr. admir. l.* 1. *obſerv.* 111. *p. m.* 26. Thom. Barthol. *cent.* 2. *hiſt.* 7. Plater. *tr.* 3. *c.* 3. Guarinon. *conſ.* 563. *et* 194. Capivacc. *l.* 30. *pr.* Savonarolla *tr.* 6. *c.* 14.

La-

Lazar. Riverius *cent.* 4. *p. m.* 42. *et cent.* 1. *obſ.* 88. Petrus Lotichius *in obſ. med. p. m.* 320. 321. 322.

Hac è ſpecie Hydropis, *Imperatorem Maximilianum* interiiſſe, Trium Imperatorum Medicus Crato, *epiſt.* 163. à Scholzio edit. commemorat.

Luctus ubique pavor & plurima mortis imago.

Hydrops pericardii. Andr. Cæſalpinus *l.* 7. *catopr. med. c.* 23. Fernelius *l.* 6. *Barthol. c.* 8. Carolus Piſo *de colluv. ſeros. ſect.* 3. *c.* 2. Tulp. *l.* 4. *obſ.* 19. Gerh. Blaſius *obſ. med. rar.* 19. part. 1. *p. m.* 31. Thom. Barthol. *Act. Haffn. vol.* 1. *p. m.* 174. *obſerv.* 89. Fidelis quondam ſtudiorum meorum moderator *Rolfinck. in Epitom. method. cogn. et cur. affect. partic. l.* 2. *c.* 1. *p. m.* 2. quin & *B. Schacht.* Fr. de le Boë *Sylvius* Lugduni Batavorum ſua in Praxi.

Gutturis, in puella, Montanus obſer-

obſervavit *conſil.* 189. *p. m.* 199. atque feliciter per cautam curavit inciſionem. Marcellus Donatus *l.* 7. *p. m.* 690.

Brachii, Ephem. German. *Decur.* 3. *Ann.* 2. *p. m.* 1, 2, 3, 4. Horſtius *l.* 7. *hiſtor. mirabil.* Sennertus *l.* 2. *part.* 1. *c.* 25.

Manus, Sennertus *l.* 3. *part.* 6. *c.* 3. Et ego *Giſſæ Haſſorum* 1663. in B. Cognato meo Dn. Chelio.

Pedum, Thom. Bartholin. *cent.* 2. *hiſtor* 37. *Iſennaci Thuringorum* 1672. ego in metatore ſeu deſignatore aulico Joanne Georgio Schneidero ſexaginta octo annorum. In Nicolao Leonardo Nautâ 36. annorum 1678. *Schevelingæ*, Nec non *Hagæ Comitis* 1699. Die 8. Octobr. in Famigeratiſſimo *JCto* Domino Joanne van R. Leydenſi, 43 annorum, beate è vivis excedente, Hydropem Brachii, Manus, Pedis ſimul ſiniſtri à femore ad calcem uſque, gnaviter annotavi: Corporeque aperto, Pulmonem ſiniſtrum totaliter ſuppuratum at-

que uno in orbiculo papillatum. Pulmonem dextrum, purum putum duntaxat repræſentans parenchyma flaccidum, atque firmiter lateri ac diaphragmati accretum. Hepar inſolitæ & ſtupendæ magnitudinis, helvi coloris, bina facile exſuperans Hepata humana, in parte ſima hepatis non gibba, abſceſſus ſe manifeſtabat notabilis, magnam quoque puris quantitatem, ultra annum, tam per alvum, quam per urinam & os tuſſi ad ſtuporem adſtantium excrevit, affinitas cum pulmone non vilipendenda. Lien una in areola cyanei coloris. Inteſtina adhuc mediocriter ſana, haud excluſo omento. Demirati mecum ſunt teſtes oculati. Reverendus Dominus *Wodewaart*. Paſtor Hagienſis. D. Biſchoff è Selandia Advocatus. N. Ball Chirurgus & alii. ὡς ἐν παρόδῳ.

Renum, Felix Platerus *l.* 3. *obſ.* Thom. Bartholin. *hiſt. anat.* 25. *cent.* 4. Thom. Willis *parthol. cer. c.* 9. ut Galenus ab Hepate, ſic *Helmontius* omnem

nem à ſolo Renum provenire archæo *Hydropem*, audacter affirmat; Verum moderatior fuit Jenæ Profeſſor B. Joann. Theodorus Schenck, *in Exercitat. anatom. p. m.* 497. Carolus Piſo, *de morb. à colluvie ſeroſa ſect. 5. cap. 4. p. m.* 534.

à Vaſorum Lymphaticorum ruptione *Hydrops*, viſceribus reliquis planè illæſis ac integris. Isbrand de Diemerbroek *Anatom. l. 1. cap.* 12. In Virtute jugiter Victoria, non in Vitio. Ante annos aliquot, tempeſtate nimis pluvioſa & frigida, ex uliginoſis pratis Hollandicis, multa hydrope laborantia Bruta, ad ſtabula fuerunt deducta, à Lanionibus, poſtmodum mactata: certe non pauca, tumoribus repleta aquoſis, cucurbitas, melones, cucumeres, poma, pyra, juglandes, avellanas, magnitudine æmulantibus; hinc ex ſpeciali & laudabili *Praepotentum Dominorum Ordinum* mandato, tales, aliis etiam è morbis, carnes bonitate ſanis omnimode cedentes, in macellis pro-

pe coemeteria, minori venduntur pretio egenis, in hunc uſque diem.

Hiſtorias in præſentiarum, bona fide adducere plures ex Auctoribus aliis, de re Medica optime meritis, jugiterque deamandis, brevitas ſane temporis gravioresque mihi vetant Occupationes, appoſite *Ovidius*

Corpora debentur mæſtis, exanguia buſtis,
Effugiunt ſtructos nomen honosque rogos.
Occidit & Theſeus & qui comitatus Oreſten
Sed tamen in laudes vivit uterque ſuas.

Specialiter, pro tubulorum Lymphaticorum in Abdominis cavitate radicatorum, accipitur ἐμφράζει, à lympha & acri & glutinoſa Maſſam inquinante ſanguineam, transitumque ſufflaminante liberum. Tubuli jam memorati, fixo meo obtutu, ſtiriarum ad inſtar tenellularum tempore exiſtunt brumali, non absque valvulis ſeu repagulis arcte occludentibus, invitiſſima ſic exſurgit διαίρεσις, functioque Oeconomiæ animalis ἀθρόως pertur-

turbatur, labefactatur, imo μεμψιμοιρία seu intempestiva horrendi nostri Affectus exoritur querela, cum fastidio in cibos, siti inextinguibili, dyspnoea, febre lenta, anxietate, urinæ paucitate, tussi sicca.

In cunctis Microcosmi ferme partibus, *Vasa Lymphatica*, ut inveniuntur diffusa, ita & glandulæ dispersæ, cum conglomeratæ, tum conglobatæ, ὀφθαλμοφανερῶς secretioni Lymphæ inservientes: Semotis odiis; Quot membra, tot *Hydropis* nomina, affatim explanavi supra.

Non quod progenui, protinus istud ames:
Me mea delectant, Te tua, quemque sua.

Considerationem hic non subit meam; *Hydrops Tympanites*, in quo, abdomen tympani in modum distenditur, manuque percussum, edit sonitum, diuturnis torminibus prægressis circa umbilicum, atque passione hysterica in sequiori sexu, infantibusque Rachi-

tide laborantibus. Neque *Leucopphlegmatia*, in qua, universus corporis habitus per carnem & sub carne, Zymomate tam seroso, quam viscoso, tumet & turget, digitorumque vestigia remanent impressa;

Verum *Ascites*, famosior ac præcipua *Hydropis* species, quam Sanitatis Custodes in castris Apollinaribus versatissimi & acutissimi, in Scriptis ut plurimum intelligunt, dum Hydropem nominant, sicque eo jure, ego quoque, quo illi, *Agonisma meum de hydrope curiosum*, sic inscripsi fide ac candide, tertia vice, auctius & correctius ob Amicorum efflagitationem & Exemplarium distractionem divulgavi, omni cum φιλομαθία, sineque κενοδοξία ulla:

Quisque suas dotes teneat, nec præferat ulli,
Quod Deus *occulta donat habere vice.*

Synonymia, rei evidentiam illustrans variorum nominum appositione. *Græ-*

cis

cis dicitur, ὑδρωπίασις, ab ὑδρωπιάω, hydropicus ſum, ὑδερίασις, affectio, paſſio aquoſa, item ὕδωρ, aqua. *Latini*, appellationes Græcas in forum tranſtulerunt ſuum, ut hodierna adhuc die ipſis audiat Hydrops. Morbus hydropicus. Paſſio hydropica, ut magis tamen latina exprimitur voce, Aqua inter cutem. Intercus, non quod omni in ſpecie, inter carnem & cutem contineatur, ſed infra partes cutaneas. Aliis dicitur, Ros humidus. Liquor reſolutus. Aqua reſoluta, ad aquæ ſimplicis uſualis differentiam. Undimia, ab unda. Languor lymphaticus. Hydra deformis. Lacuna. Scatebra ſqualida, imo diluvium microcrosmi crudele, mira exercens crudelitate Ægrotantium corpora. Sicut Macrocoſmi diluvium, ineffabiles invexit ærumnas ac miſerias, locuples eſt teſtis SACRA SCRIPTURA. *Geneſ.* 6. ℣s 17.

Ecce Ego adducam aquas diluvii ſuper terram, ut interficiam omnem

Carnem, in qua Spiritus vitæ eſt ſubter Coelum & univerſa, quæ in terra ſunt, conſumentur.

Germanis, die Waſſerſucht, oder die Waſſerfülle. *Batavis* het Water. *Gallis* hydropiſie. *Italis* hydropiſia.

Paronymia, nominum derivatio, derivant græcæ linguæ Antiſtites, ἀπὸ τοῦ ὕδατος, aqua & ὠπὸς, facie. Inde hydrops non minus ſcite, quam vere, quaſi ὑδερικὴ ὤψ, aquoſa ſeu aqua turgida facies, quoniam vividus, floridus & roſeus faciei color, in lymphaticum, cadaveroſum & torvum, luridum ac foedum convertitur, Experientia, omnium rerum fida magiſtra, teſtimonio ſufficienter comprobat.

Acer & ad palmæ per ſe curſurus honores,
Si tamen horteris, fortius ibit equus.

CAPUT SECUNDUM.

De Definitione Reali.

REpurgato Augiæ ſtabulo, recte nunc tendo tramite ad *Definitionem*, quæ Oratio eſt, ipſam rei exponens eſſentiam, ſequens eſto.

Hydrops Aſcites eſt congeries præternaturalis, lymphæ peculiariter corruptæ, Oeconomiam deſtruentis animalem, cum phænomenorum Pathognomonicorum ſyndrome.

Definitum, Hydrops aſcites, græca civitate donatum vocabulum, dependens ἀπὸ τοῦ ἀσκοῦ, utre ſeu utero, quod hoc conflictati morbo, aquam in abdominis capacitate, ſeu ſpatio illo, quod exiſtit inter peritonæum, omentum & inteſtina, in utre quaſi gerant, vel manu percuſſus, in mo-

rem utris, aqua referti resonet, hinc Utricularis etiam vocatur morbus. Uterus juxta Veteres, omne est receptaculum, in quo aliquid ad tempus abstrudebant, continebant & conservabant.

Genus constituo, collectionem præternaturalem, quippe admirabilis corporis humani fabrica, suam non amplius retinet proportionem naturalem, sed in ingentem excrescit molem, augetur & attollitur, fitque deformis aspectu. Notabiliter dixi, præternaturalis, quo discriminetur & dispescatur à congerie naturali ac habitu, partiumque incremento, ut notum, imo notissimum in obesis, in latum & profundum crescentibus, penes quos, nulla plane functio Machinæ nostræ pneumaticæ læsa deprehenditur, se quoque παρὰ φύσιν non habent, verum non naturaliter. ὄγκος insuper morbus est respectu laticis collecti peccantis, symptoma neutiquam, nisi secundum quid, quatenus est fructus & sobo-

ſoboles alterius morbi, videlicet Cachexiæ. Febris. Icteri. Scorbuti. Calculi. Luis Venereæ.

Lympha peculiariter eſt depravata, propter reſtagnationem ac συναθροισμὸν particularum viſcoſarum, acidarum ſalinarum, acrium, imo nonnunquam cauſticarum, antegreſſa nempe pertinaciſſima ἐμφράζει: Vaſorum inde tenellorum *Lymphaticorum*, per omnes & ſingulas certe corporis partes diſperſorum, glandularum innumeroſarum, tam conglomeratarum, quam conglobatarum, mirifica diſtenditur & disrumpitur textura, atque in inferioris ſic ventris cavitatem, præmemorata nocens deſtillat unda, vel ſi mavis, irruit, Oeconomiam animalem deſtruit, evertit univerſam & φθορὰν producit haud levem, varii coloris, nempe lacteſcentis, citrini, lutei, viridantis, nigricantis, αὐτοψία oculorumque ſat roborat fides:

Utile conſilium cura prægrande ſecutus:

Quan-

Quantitatem Hydræ noſtræ deformis exquiſitam, inque Abdominis capacitate repertam, determinare nequeo, quoniam Sagaces Cadaverum perſcrutatores, quandoque centum, nonaginta, octoginta, ſcatebræ ſqualidæ libras effluxiſſe conſignarunt.

Ego *Hagæ Comitis* Anno Chriſti 1692. Die 22. Junii. in Septuagenario *Duce. C. L. Mecklenburgico*, ſexaginta animadverti libras, Cujus pia ſit memoria, Cujusque Generoſam animam *Deus Triunus* æternis & ſalutiferis beet gaudiis.

Porro Joannem Aurigarium è Franconia, gigantæam ſuam Vitam debacchantem in potando, atque hydrope finientem *Marxuhlæ in Thuringia* 1673. idibus Novembris, cum Chirurgo aulico Martino Weidman, & Capitaneo de Selbach, cultro ſubjeci anatomico, laticis perquam foetentis, colorisque ſubrubicundi, cereviſiæ inſtar Roterodamenſis, libras medicas centum & ferme quadraginta ſedulo

dulo animadverti, neque memini me in ullis Anteſignanorum ac Medicorum primipilarium monumentis, legiſſe de tali crudeli ac univerſali Microcosmi diluvio, ab obicibus cunctis *Lymphaticis* minus obfirmatis procul dubio, & penitus exeſis & ruptis, cauſtici languoris vitio: quippe patentiſſimum repræſentaverat dolium, apertum cadaver, admirationeque digniſſimum:

Paſcitur in vivis livor, poſt fata quieſcit.

CAPUT TERTIUM.

De Subjecto & Cauſis.

Ὀνόσος cum ſit συμβεβηκὸς, expoſtulat ſubjectum, cui inhæreat, inque quo ſuſtentetur, veluti materiali cauſa:

ſa: Accidens enim perſe ſubſiſtere nequit.

Subjectum, in quo πρώτως intempeſtiva Microcosmi inundatio, deliteſcat, Abdomen pronuncio, necnon, partes continentes carnoſas, membranoſas, *Lymphaticas*, κατ' ἐξοχὴν, araneoſas, tortuoſas, fibroſas, glanduloſas, lacteas & alias quæ extendi atque dilatari queunt. Sodes nonne verum? Quod natura, per naturam, explicanda, haudque per rationes ſit evertenda, ſed ſimul his ſuffulcienda. E. G. Uterus ἁπλῶς perpenſus, nucis avellanæ magnitudinem vix excedit. Tubæ Follopianæ vix parvum admittunt ſtylum; tempore vero prægnationis ac geſtationis quotidie in prægrandem aſſurgunt magnitudinem.

Quid non contingit in Omphalocele, Epiplocele, Enterocele, Phyſocele, Hydrocele, Sarcocele, Bronchocele (Alpinis vernacula populis,) Cirſocele ſeu varicoſo ramice: ſileo jam alia tumorum genera, propter tem-

temporis, chartarumque anguſtiam.

Δευτέρως partes profecto decliviores, inferiores & procul diſſitas, ſicco minime prætereo pede, ut teſtes jam Medicos Exercitatos & non ſemiſſes in *Praxi Medica* allegavi: quapropter cramben apponere biſcoctam, ſuperſedere ſtatui:

Ridetur chorda qui ſemper oberrat eadem.

Et prudens ille cæteris ἐπιπολύ.

Qui morbos hominum multorum vidit & auſus.

Cauſarum quanta ſit neceſſitas ad morbi explorationem, à qua curationis tota dependet felicitas, in propatulo eſt: ea Medicus non inſtructus, peccat & fallitur, verusque morborum triumphator exiſtere nequit: Sublata nimirum cauſa, tollitur revera effectus, ipſe morbus:

Felix qui rerum potuit cognoſcere cauſas,
Ille metus omnes, & inexorabile fatum
Subjiciet pedibus, ſtrepitumque Acherontis avari.

Immo-

Immodici quidem quondam laboris fuit doctrina de *Sanguinis Circulatione*, infinitis opinionum vepribus & ſpinis ſepta, ita, ut in proclivi non fuerit, ex hac ſemet extricare difficultate, quoniam multis ab annis Medicinæ Procerum & pennas & ingenia admodum exercuit, ceu opus periculoſæ aleæ plenum, ita & *Hydropis* cauſa:

Tentare ingenium, non oſtentare volebam,
Tu cuncta ad laudem dirige Jova *tuam.*

Cauſa Proxima, Lympha exiſtit commonefacta, arterioſo è ſanguine ſequeſtrata, acrimonia & viſcoſitate peccans, tubulos expandens, erodens, disrumpens Lymphaticos ſparſim in Microcoſmo ſitos, nec non à natura efformatas ad prodigium valvulas perneceſſarias, glandulas recitatas, haud excluſis miliaribus, lithoſpermicis ac anonymis, quarum ferme myriades adhuc ſunt, debita ſic Lymphæ impeditur ἀνάδοσις, unanimiter Sanguinis con-

consolidat Circulatio, de qua fuse in *Anatome mea umbilici curiosa.*

Ἀλώπηξ οὐ λαλεῖ, ἀλλὰ κόραξ. Certe, non multis eget verbis Veritas, licet convitiis, caninaque facundia sit impugnata. Ἐν τῷ σπουδάζειν προκόπτομεν, studendo proficimus.

Non jacet in molli veneranda scientia lecto,
Illa sed assiduo parta labore venit.

Ecquem latet? læsa è Chylosi, læsam prosilire Hæmatosin, ac ex hac, Oeconomiæ Animalis suspectam Dispensationem, discordabilem Nutritionem, tragicum exitum, ad nutum se nostrum minime accommodantem: Sævum hinc Microcosmi introducitur diluvium, in plures Macrocosmi inhabitatores.

Cor, optimi instar Patris familias, paternam suam in Re Oeconomica, prærogativam & administrationem potenter & patenter exercentis, se gerit curatve.

Hepar, Lien, Renes, cum Visce-

ribus reliquis, ad negotia domeſtica feliciter exſequenda, colando, depurando, abſorbendo; ſecernendo & ſecedendo, ceu fidos & ſolicitos ſe præſtant adminiſtros, modo in hoc contentionum ſalo, damnoſum abſit σχίσμα.

- - - Omnis redeat labor actus in Orbem.
Me trahit artis amor veri ſtudiumque ſciendi.

Pereleganter Pſalmiſta *Pſalmo* 139. Mi *Deus* confiteor *Tibi*, quod miris & ſtupendis modis formatus ſim, quodque eximia ſint Opera tua, quæ optime novit anima mea.

Dic ſodes, accurata Hominis disſectio, annon res difficilis & ſalubris? Lux, ornamentum, fidiſſimus Hodogetes artis eſt Aſclepiadeæ? ad animum colluſtrandum, judicium formandum atque prudentiſſime ſanandum. Utilitate igitur & neceſſitate, cæteras præcellit ſcientias, quippe pervagatiſſimum, γνῶθι σεαυτόν. *Noſce te ipſum.*

Pſeudo-

Pſeudo-Medicis, temeritatis inconſideratiſſimæ plenis, mentisque caligine conſitis, indeſinenter inſuſurrandum, Manum de Tabula, de humano enim hic luditur corio, homini tempus conſultor optimus.

Conſule Vir, fac vota Senex, juveniſque labora.

Sed quorſum *Anatomiæ* provehor amore? enodanda & explananda mihi.

Cauſa remota, Vaſorum Lymphaticorum, ut &, auſim dicere, innumerabilium ſimul glandularum, antegreſſa στενοχωρία καὶ θλίψις, Lymphæ mox fluxus & refluxus ad loca alias conſueta retardatur, Sanguis ipſe deturbatur arterioſus, ſuisque particulis orbatur balſamicis, oleoſis, aëreis, aqueis, acidis, ſalinis, terreſtribus, viſcoſis & ſic porro: Inde ἱκανῶς improportionata Sanguinis Mixtio, Manifeſtam virium producens perditionem, καὶ τὴν ἀπολυχίαν Phoſphori vitalis, exſurgit & ſe erigit, à baſi nempe ad periphe-

riam ipſam. Atteſtante omnium memoria, unius rei plures poſſunt eſſe cauſæ, ſi uſpiam; certe in arte Medica.

Diſpoſitio Hæreditaria, ſuum etiam confert ſymbolum, nati paternorum malorum citius fiunt hæredes, quam bonorum:

Qui viret in foliis, venit à radicibus humor:
Sic Patrum in Natos veniunt cum ſemine morbi.

Ætati facile omni, principaliter Senili, Hydrops communis, quoniam flammula tunc Vitalis, decreſcere incipit:

Sanguis hebet, frigent effoetæ in corpore vires.

Sexus uterque hoc conflictatur malo; ſed ſequior κατὰ φύσιν, obtinet ὑπερεξουσίαν, ſupereminentiam. Atque propter ἀκρασίαν in ſorbillando potum *Theæ Coffeæ*, quin & diſperditionem ac diſſipationem oeconomiæ, hoc ærumnoſo ac doloſo terminante ſeculo, lu-

ce

ce meridiana clarius eſt in *Belgio noſtro*: dein

Noxa pol innumeris mox venit illa Viris.

Aer craſſus, turbidus, paludoſus, ſpiracula cutis perquam occludens, Machinamque noſtram pneumaticam, motu reddens ſegnem, torpidam, Microcosmi cataclysmo, facem non turbulentur addit, quin & temporis anomalia repentina, frigusque brumale.

Vitam cæteroquin ducentes maritimam, atque ex Indiis Orientalibus in *Hollandiam* revertentes *Benedictam*, carceribusque nuper ſubterraneis *Belgæ noſtri*, (itineribus maritinis deditiſſimi, quique ab ephoebis primis cum lacte materno, ipſis quaſi inſtillata ſunt: præ nationibus cæteris,) Dunkercæ, Dieppæ, Breſtæ, St. Malo. Marſiliæ, Toluſæ, incluſi, penes *Crudeliſſimos Gallos*, flagrante Bello, prolixe mihi recenſuerunt lachrymantes, vitamque non pauci, reduces in Patriam dulcem, cum morte commutarunt,

runt, è victu facili ac abominando:

Vel mors, vel morbus, vel tristis, Vulnera, Vultus,
- - - - Quodque sequuntur iter.

Sanitatis pars potissima, haurire purum Spiritum, non turbidum. Astrologi, quando in alicujus genesi, Luna, mater humorum, dominium, exercet, illum Hydropi obnoxium esse, circa Novilunium se pejus habere, atque circa Plenilunium obire, ὁμοθυμαδὸν dictitant:

Astra movent auram, movet aura, salumque, solumq;.
His Homines vivunt, planta tenella simul.

Cibus, ferax est morbi utricularis, peccans Qualitate, frigidus nimis & humidus. Quantitate, propter Esculentorum frigidorum, fructuumque ὡραίων facile putrescentium, multitudinem ingestam. Substantia, cibi δύσπεπτοι, κακόχυμοι, quatenus suscitabulum subministrant, ζύμωσιν καὶ πνευμάτωσιν legitimam impediunt. Potest frugalitas producere senectam:

Fac

Fac genio metas, ut sit tibi longior ætas.
Non facit ad multam crapula multa diem.

Tempore inordinato assumti cibi, hodie hora undecima, cras hora secunda, nulla plane Sanitatis expectanda securitas, abunde *Aulica* attestatur *Vita*, quæ splendida sæpicule miseria, cum aceto rectificato: Experto crede Ruperto.

Aulica qui tractant se se favoribus ornant.
Aurea ne credas, quæcunque nitescere cernis.

Imo Fortuna, ut Luna:

Lusus Fortunæ variatur imagine Lunæ,
Crescit, decrescit, certo consistere nescit.

Aphoristice:

Fluxa ministerium res est Heröis *in horas.*

Ergo

Est melius placitis cum Libertate *carere,*
Quam gravibus curis, atque timore coqui.

Utendi insuper modo, alimonia

 priori

priori & multiformi minus δεξιῶς concocta, Vitium tunc in prima perpetratum concoctione, non facile in secunda, neque in tertia emendatur:

- - - - Vides ut pallidus omnis
Coena assurgat dubia, quin corpus onustum
Hesternis vitiis animum quoque prægravat una,
Atque affigit humo divinæ particulam auræ.

Ex ore *Altissimi*, Protoplastis nostris in Paradiso reluctantibus, vetitus Arboris fructus, hujusque esus, nonne difficilis adhuc concoctionis? Nonne ineffabilis tribulantionis? Siquidem in hoc domicilio lugubri, cruditatem Posteritati seræ reliquit indigestam, mortiferam, hæreditatemque luctuosissimam, quapropter quod oritur, moritur:

Aspice Mortalis fugientia secula vitæ,
Quam fragile est! quodcunque sumus, dum vivimus inter.
Mille modos lethique vices versabimur Omnes.

Potus quoque eadem est ratio & circa

circa eundem, circa cibum memorata, veniunt conſideranda. Ingurgitationem crebram, largam & avidam ante cibum, aut poſt motum validum, vel poſt Balneum, ſive Vini, ſive Cereviſiæ, ſive Aquæ frigidæ, foecundam Affectus Lymphatici exiſtere matrem, extra omnem dubitationis aleam eſt poſitum. Nec decolor, ſolersque καπνόφιλος, cui Lingua arida, guttur ſqualidum, Sitis Tantalea, immunis.

Diſcite, quam parvo liceat producere vitam,
Et quantum natura petat, non erigit Ægros
Nobilis ignoto diffuſus Conſule Bacchus.

Aſſiduiſſime imitemur Calliſthenem, qui, cum in Convivio *Alexandri Magni* ingens circumferretur patera, illam aſpellendo reſpondit: *Nolo bibere ut Æſculapio indigeam.* Utinam noſtra memoria, apud alios etiam obſervaretur Populos.

Motus intra mediocritatis limites ſervatus, conſervat ſanitatem; ex ad-

verso, immoderatus, hanc atterit & profligat, inprimis post cibum assumtum institutus; ob labefactatam atque eversam πέψιν, jacturam haud levem facit & Sanguini & Viribus:

Et vitium capiunt, ni moveantur aquæ.

Quies diuturnior ac exercitiorum intermissio assueta, ἐκτεθηλυσμένον effoeminatum & infirmum, reddunt corpus, atque extravasatam ἐξαπίνης illuviem nullatenus exhauriunt ac exinaniunt:

Incidit in Scyllam cupiens vitare Charybdin.

Somnus naturalem excedens ordinem, mirificæ Microcosmi Constructioni, imprimit segnitiem, hebetationem, Viriumque dispendium, alias

Somne quies rerum, placidissime somne Deorum,
Pax animi, quem cura fugit, qui corpora duris
Fessa ministeriis mulces reparasque labori.

Vir-

Vigiliæ enervant nimiæ, cruditates generant:

Attenuant Juvenum vigilatæ Corpora noctes.

Sanguinis Circulum, magno quaſi igne exæſtuant, illi acrimoniam, craſſitiem inurunt, ſicque Hydropiſin novem vel decem dierum intervallo, quandoque accelerant, propter celerem tubulorum Lymphaticorum διαίρεσιν, potiſſimum apud Illos, vitam tranſigentes Sardanapalicam, 1 *ad Corinth.* 15: ℣s 32. Manducemus & bibamus, cras enim morimur.

Vivit revera *Dominus Deus* noſter! Ecce vigilabo ſuper eos in malum & non in bonum, & conſumentur omnes penitus gladio & fame. Ferre enim ultra non potuit dominus propter malitiam ſtudiorum veſtrorum; propter abominationes quas faciebatis; facta igitur eſt terra veſtra vaſta, deſolata & execrabilis, evolvatur *Propheta Jeremias Cap. xliv.* Et 1 *ad Corinth.* xv: ℣s xxxiv. Expergiſcimini Juſti & ne

& ne peccetis, nam ignorationem *Dei* nonnulli habent, ad pudorem Vobis loquor;

Ambitiosus honos, & opes & foeda voluptas:
Hæc tria pro Trino Numine mundus habet.

Animi pathemata, Moerores, curæ, Altercationes, Fletus, modum si excedant, fomitem gravi nostro suppeditant morbo, ob notabilem Circumgyrationis ἀταξίαν, *Discursus meus de ania*, affatim confirmat. Ratio quapropter huic malo, verbis potius modificatis moderabitur, quam Pharmacon.

Curas tolle graves, irasci corde prophanum.

Excreta, tragicum efficere exitum valent, utpote enormes sunt Narium hæmorrhagiæ, immoderatus Mensium, Lochiorum, Hæmorrhoidum fluxus. Dysenteria. Lienteria. Venæsectiones crebræ, ut *Hagæ Comitis* ante lustra quatuor, in Viro observavi Primario, sexa-

ſexaginta ſex annorum, cui centies & ultra, absque neceſſitate magna, Vena fuit ſecta: proin

Diſcite Doctores *pretioſo parcere ſucco,*
Tam vitæ fons eſt, quam necis autor idem.

Veneris Exercitium intempeſtivum & illegitimum:

- - - - *Natis Venus alma creandis*
Serviat: Hos fines tranſiluiſſe nocet.

Ecquem mortalium non fugit, Oeconomiam animalem mirum in modum perturbari, debilitari, Sanguine privari, vaſa collabi cuncta, membra reddi inertiſſima, faciemque maxime pallidam atque cadaveroſam:

Cernite nunc Juvenes! qui mox coepiſtis amare,
Quot gemitus præſtet, quot mala, coecus amor?
Exitus aſt ille eſt ſeniorum & finis amantum:
Quod amor ante diem mittat in Elyſium.

Vel juxta Horatium.

Deſine Matronas ſectarier, inde laboris
Plus haurire, mali eſt quam ex re decerpere fructum.

Retenta

Retenta præter conſuetudinem, admirabili Fabricæ humanæ, haud leve affricant ac inferunt incommodum, perniciosa ἐμφράζει. Juvenes Viduæ, atque Virgines tempeſtivæ & maturæ Viris, Menſiumque ſuppreſſione conflictatæ, propemodum toto teſtantur die.

Hadrianus Imperator, Mæcenas Literatorum, non Adulatorum Summus, (ut hoc ævo, *Invictiſſimus Imperator* LEOPOLDUS!) ex Hæmorrhoidum retentione diuturna, Hydropicus fuit factus animamque efflavit; at tumbæ tamen ſuæ inſcribi juſſit. *Multorum medicorum ingreſſus me perdidit*. Forſitan ob tot miſeras Medicorum bliteorum concertationes, perverſasque Morborum curationes: Adhuc imperitiſſimi intempeſtive, Peritiſſimis Medicis habitum contradicendi induunt ac exercent, *Templi Pacis* apud priſcos Romanos obliti penitus; in quo placide conſilia de Ægrorum ſalute ceu ſuprema Lege contulerant, ingenioſe quidam

Nun-

Nunquam crede mihi à morbo curabitur Æger;
Si multis Medicis creditur una febris.

Verum enim vero, ex Binorum vel Trium Medicorum Exercitatorum congreſſu ac judicio, veritas eluceſcit major, quando concordant, Ægri, Medicis fiunt obedientiores, nec his tam facile eventus mortalitatis imputari poteſt. Plus oculi ſemper vident quam oculus, Morbusque perſe magnus non parvi faciendus, ncc parvus magni. Ne conſultes tamen cum eo, cui ſuſpectus es, nec invidentibus tibi conſilium aperias. *Syracid.* 37.

Alexander Magnus infamia notandus, injuſte ſuffigens cruci Glaucum Medicum, Hephæſtione mortuo, è gallo gallinaceo adeſo, ingentique epoto cratere Vini frigefacti, contra Medici præſcriptum, cuilibet enim in arte ſua Experto credendum. Medicus tandem manet Imperator corporis, valetudine iniqua conflictati, ergo *Imperatoris*, *Regis*, *Electoris*, *Ducis*, *Principis*, *Comitis*, *Baronis*, *Nobilis &c.* *Regia*

Regia, crede mihi, res est ſuccurrere morbis.
Venit poſt multos una ſerena dies.

Reténta eſſe Venena, quondam *Sapiens Elector S. R J. Carolus Ludovicus* dixerat, experientia edoctus propria, magnifecit ſemper Medicos: Revera Medicus, quanto, apud *Magnates* ſalutari conſilio, ac auxilio promtior & apertior, tanto magis, favore, honore & congiaria extolletur, imo humile Medici tectum ſæpenumero fit magnificum ac Nobilitate inſcripti decoratur; ſed

Si ſapis, affectes mediocria: ſumma perîclis
Obvia: Contemtum ſordida vita parit.

Aliâs in propatulo, Nobiles haud facere atrium fumoſis imaginibus plenum, ſed Virtutes.

Fruſtra jactamus noſtram, quam à Majoribus accepimus Nobilitatem, ſiquidem mox eandem, ignava involvit obſcuritas. Absque Virtute & morum benignitate & humanitate, Nobilitas, nihil eſt omnino.

In

In Ægypto, olim in domorum veſtibulis, alas Vulturum proponere & affigere, indicium Nobilitatis & vetuſtatis erat. *Ciceroni*, cum generis ignobilitas objiceretur: Satius eſt, inquit, meis florere Geſtis, quam Majorum opinione uti, & ita vivere, ut Poſteris meis ſim Nobilitatis initium, Virtutisque exemplum.

Enim vero, Virtus & Doctrina niſi ſtipata ſit Opibus; Genere gratiaque Summatum, ſpreta hodie jacet & neglecta, ſcienter Poëta:

En ſeculo premimur gravi, quo ſcelera regnant.
ὡς ἐν παρόδῳ.

Res præternaturam antegreſſæ, ἔνανσμα adportant, huncque excitare queunt. Videlicet Cauſus. Aſthma. Icterus. Scirrhus. Quartana. Dyſenteria. Podagra. Vulnera. Ulcera. Phthiſis. Eapropter talis Hydrops, poſt morbum contumacem exortus, plerumque periculoſus ac interfectivus,

vus, ob naturam nunc convulſam, fractam, atque vires omnino proſtratas, experientia, Veritatis meridies, clare docet.

CAPUT QUARTUM.

De Differentiis.

D*Ifferentiæ* ſedulo perpendendæ, Axioma immotum & immutabile in Scholis Philoſophorum exiſtit: Qui bene diſtinguit, bene ſolvit, bene docet & bene curat. Hoc invitatus & ego, triplicem hic Inundationis Microcosmicæ profero diſtinctionem.

Generis ratione, quod ipſam Hydropis eſſentiam concernit, ſufficienter enumeravi: Reſpectu magnitudinis; Hydrops alius eſt intenſus, alius medio-

mediocris. Generationis, alius lento incedit pede, alius ἀθρόως irruit. Durationis, alius inveteratus, consummatus & habituatus, Alius recens, incipiens, mitis & minus terrificus. Alius est simplex, alius complicatus, cum Mensium suppressione, cum cordis palpitatione, cum asthmate, cum quartana, cum ictero, cum febre lenta, cum paralysi, cum intolerabili dolore in ipso femore, cum scorbuto; Frequentes cadaverum cum hic, tum alibi, dissectiones, quibus à triginta sex annis & quod excurrit, curiosus inspector, naturæque indagator libenter interesse volui, haud inconsiderate me informarunt, interdum non accersitus, ex *Anatomicorum* malignitate & livore:

Invidus alterius rebus macrescit opimis,
Invidia Siculi non invenere Tyranni
Majus tormentum.

Subjecti ratione, Hydrops alius est universalis, totam corporis texturam,

inſidioſa replens Lympha, alius particularis, ſolam abdominis capacitatem. Alius per πρωτοπάθειαν, nullo alio præcedente morbo, alius per δευτεροπάθειαν, prægreſſis aliis ſuccedens: Alius per μετάπτωσιν à quiete morbi prioris productus. Alius per ἐπιγένεσιν, nullum plane morbo primigenio adferens levamen, nimirum Hydrops quartanæ nondum ſanatæ.

Cauſæ efficientis ratione, tot & tantæ, quantæ in aprico ſunt, atque à me leviter perſtrictæ, ſingula enim hic recenſere tranſilio, propter breviſſimam temporis intercapedinem.

Cum doctis verſare lubens, nam diſcere multa
Sic poteris, nec non avide, quæcunque loquuntur,
Auſculta, atque roga interdum, tunc coetera Divis
Committe, ac patiare animo tua fata ſereno.

C A-

CAPUT QUINTUM.

De Signis Diagnosticis.

ORdinis nunc efflagitat ratio, ut brevibus *Signa* percurram *Diagnostica*, quamvis in principio sint cognitu difficilia; Exacta horum cognitio, Perspicaci Sanitatis Custodi, summe salutaris, Et felicissimæ Curationis fundamentum est infallibile.

Quod fraudulentos Agyrtas, *Sympatheticos* atque temerarios latet *Rasores*, audacter Ægris lecto affixis, propinantes, quid pro quo, apium pro opio, coccum pro croco, sic impune occidunt & cladem accipiunt:

ô Proceres! censore opus est & aruspice bardis.

Væ sceleratæ Illorum audaciæ! Væ

horrendi facinoris! exclamo. Consilia quoque Medicorum, qui parum eruditi ſunt, ſatisque ſeduli officioſe occidunt multos, cane pejus & angue devita. Morbi, non rauca memoratorum curantur garrulitate; ſed prudenti remediorum applicatione. Hiſtrionum ac Stentorum eſt, parvam attollere rem, quo plus præſtitiſſe videantur. Priſci ævi proverbium de Hiſtrione fuit. Video barbam, pallium, & verba audio, *Medicum non video*, Cui ſi confeſtim pretioſam detrahas veſtem & annulum, idem accidet, quod Cumano Leoni, qui pelle nudatus ſua, apparuit Aſinus cum puncto, ac Cenſor ineptus:

Carpit uti doctam Philomelam deſes Aſellus,
Sic tu diſcurſus Luride Aſelle meos.
Ter carpis, cuculum laudas ô plumbee Aſelle
Luci, Aſini merdam decoque proinde Tibi.

Publicæ ſalutis vigilantiſſimus Cuſtos, conſcientiam ſuæ conditionis habens bonam, talentum ſibi à

Deo

Deo concreditum, ſubque terra defosſum non abſcondat, verum publico concedat bono, Monetarium imitetur verum, monetam non falſam cudentem & proferentem: Paroemiam declinet tritam, Sicut figulus figulo, mendicus mendico, ita Medicus Medico invidet, venuſte *Theogenes* de Philoſophis.

Miſta atque interpres Muſarum haud invidus eſto,
Eximium ſi quid noverit in ſophia.
Verum alia inquirens, alia explicet; atque alia edat,
Quid proſit, ſolus omnia ſi teneat?

Apage ſivis Doctores illos; qui turpiſſimi lucri cauſa, ut majus extorqueant præmium, morbos prolongare, momentum illud occaſionis curandi & alia, quæ maxime ex uſu, turpiter negligere, atque ita curationum tempus protrahere ſolent, nimirum Languentes, qui diebus pauciſſimis, vel etiam horis ſanari poſſent, in longum protrahunt tempus, ut Ægros diu in reditu haberent, ſæpe ſeverio-

 res

res ipſis exiſtere morbis, altercando inter ſe *Mulierum Schevelingarum* ritu, magno cum ſtrepitu & vociferatione, manifeſto comperi, *Deus* meliora nobis, erroremque hoſtibus illum. Ars prima ut Regni, ita & Praxeos eſt, poſſe invidiam; pati ſcireque foro uti.

Dico pro certo, quod ſi cum ſtercore certo,
Vinco vel vincor, ſemper ego maculor.

Sacra interim res cum ſit Medicina, Medicinæ Sacraria non omnibus ac ſingulis, niſi Veris & Prudentibus morborum Vindicibus ac Vitæ Moderatoribus pateant; ut antiquitus in Ægypto, tantum Regibus, Sacerdotibus & Magnatibus; Boeoticis vero claudenda hodie diſcipulis, Veſanis ac ampullaceis Empiricis, atque illis ex infima plebis fæce, cum circulatoriis jactationibus, divulgatisque ſchedulis ac relationibus. Nunquam vulgari in Lingua edantur Scripta, ut ætate noſtra peſſimus paſſim increbuit mos, cum Artis ſervandorum Hominum

num ignominiosa exprobratione, profanatione, prostitutione, subsannatione. Profecto efficaciam suffurantur, fenestram ad omnem aperiunt deceptionem, nequitiam, atque omnis generis latrocinia ac injurias exercendas. At veritas odium parit.

Non fucata, sed est simplex oratio Veri.

Medici tales digni poena, cum eorundem pace, qua quondam Hipparchus, non Harpocrates Stentore clamosior, arcana revelans Pythagoræ, è Schola subito fuit ejectus, columna dein erecta, ceu silentii signum, mutam vocat artem *Virgilius*:

Sæpe potestates herbarum usumque medendi
Maluit & mutas agitare inglorius artes.

Artis vero nostræ mysteriis initiatis, secreta omnino esse detegenda & sub incudem typographicam revocanda *in Linguâ Eruditorum incorruptâ*, Salutis publicæ causa, asseveranter defendo,

priſtinus tunc Medicinæ ſplendor non amittitur, quemadmodum laudabili præeunt Exemplo, *Ephemerides A. N. C. in Germaniâ*, pleno ore laudandæ & gloria extollendæ.

Scire volunt omnes, ſtudiis incumbere pauci.
Non venit ex molli vivida ſama toro.

Prudentia porro practica, fundamenta præſupponit ſolida, ſingularesque animi ac corporis dotes, idcirco à Pictoribus olim Syriis Apollo barbatus cum annexo ſerpente fuit depictus, quo innuere voluerunt, Medicum ætate reddi & prudentiorem & peritiorem, nihilque in ægris arroganter, temere & ſine mente tentandum eſſe, niſi quod in ſalutem & emolumentum vergeret. Perinde ac Gubernator navis, in iis, quos vehit. Ægros ſanare omnes, impoſſibile eſt, ſi quid tale liceret Medicis, *Dei* ſane anteirent potentiam & non eſſent mortales. *Actor.* 14: ℣s 15. quocirca.

Fata

Fata manent Omnes, Omnes expectat avarus
Portitor, & turba vix ſatis una ratis.
Tendimus huc omnes, metam properamus ad unam,
Omnia ſub leges Mors *vocat atra ſuas.*

Sed quo obſecro, *Beneſice & Benigne Lector?* benignitate tua ſum abuſus, atque extra chorum ſaltavi, manifeſto igitur delicto meo ignoſcas.

Signa incipientis Hydropis Pathognomonica, aſperis ſentibus ſunt obſita, plano non decurrentia calle: Idem huic evenit, quod naſcentibus Herbis.

Præſentis, in Vulgus miſerabile nota, cur non actutum ſolerti Medico? Generis ratione, eſſentialiter inhærentia adſunt. Abdominis intumeſcentia, cum gravitatis ſenſu nonnunquam cum, nonnunquam ſine dolore.

Partium ſuperiorum gracilitas & flacciditas, videlicet Manuum, Brachiorum, à ſucci nutrititii depravata conſtitutione, hinc haud inconcinne cum Fiſco comparatur Regio, quo diteſcente & creſcente, Subditorum bona decreſcunt.

Fluctua-

Fluctuatio, quando Hydropicus de uno latere in alterum ſe circumvolvit in lecto, fluctuantis ac agitatæ aquæ ſonus, utris inſtar, liquore aliquo ſemipleni, agitati & reſonantis percipitur, ob Lacunæ pernicioſæ profluentiam atque extravaſationem, adeo, ut inteſtina murmurent, inque aqua veluti natent ac fluctuent, tunc vociferantur libere cum *Propheta Eſaia xxvi.* ô *Domine* in anguſtiis requiſiverunt te, in tribulatione murmuris, doctrina tua eis. Fiat voluntas tua, in me, circa me, de me, & per me.

Sum tuus in vita, tua ſunt mea funera Chriſte;
Chriſte *tibi vivam*, Chriſte *tibi moriar.*

Sed ultimis hiſce depravatis temporibus, proh dolor, plures *Chriſtum* poſtponunt *Chryſo* ſeu auro, luceat illis ita, ne lugeant in æternum.

Symptomata turmatim ingruentia, in diesque ingraveſcentia, præſentiam confirmant, ſiquidem Microcosmi diluvium ſequuntur, ut umbra Corpus.

Sitis

Sitis Tantalea, clamosa, seu inextinguibilis, à denegata particularum humido heterogenearum ad partes corporis permeatione, percolatione, permolesta simul glandularum, ductuumve salivalium oppilatione, potu quandoque vix sedatur, verum exasperatur, juxta tritum:

Quibus intumuit suffusa venter ab unda,
Quo plus sunt potæ plus sitiuntur aquæ.

Appetitus prostratus exoritur, ab obtuso ventriculi atque Zymomatis vigore, læsa dein resultat chylificatio, & post pastum insipidum, animi anxietas, febris exacerbatio, faciei distensio & pallor, à nociva vasorum capillarium obturatione.

Corporis quoque totius adest languor, incessus sanguinis ἐντελεχεία, hinc ἀφόδευμα amurcarium, malorum mare, stirps igitur quæstionis: Qualis motus, talis sanguis, qualis sanguis, talis calor, qualis calor, talis sanitas & vita: aliâs, ut vita, mors ita. Non vive-

vivere, sed valere, vita est, non sit mortale quod optes, sed æternitatem cogites jugiter, *Deum*, & proximum colas, mundum spernas, sic tibi prospera evenient cuncta. *Actor*. 17. Dominus providebit, qui credit, videbit:

Manant à solo commoda cuncta Deo:
Fidentem nescit deseruisse Deus.

Difficultas spirandi; propter accumulatam in abdomine lympham glutinosam & lancinantem, diaphragma pondere suo aggravantem, pulmonibus liberum aëris transitum præcludentem, ac κυκλοφορίαν notabiliter perturbantem.

Tussis sicca, contumax, vellicans, concitans atque suffocationem minans, tempore inprimis nocturno; unde Hydropici decussatim decumbentes, in luctuosa crebro hæc erumpunt verba:

Mî *Deus* miserere mei! scatebra enim squalida, cor meum suffocatur, nullum ne arte in jatrica, pro me re-

con-

convaleſcentiæ perfugium & præſidium?

Raucedo nonnunquam terribilis, in prima hydropis invaſione, à me, in *Beato Domino meo Parente, Adamo Euth. Pr. P. Haſſo-Darmſtadin.* ante triginta tres annos annotata. Nec non in Generoſo nuper Barone Joanne de G. miſſo Legato cum auctoritate *ad Pacem Ryswicenſem*, ad lares poſtea ſuos reverſo, novumque iter paucorum dierum aggreſſo, ſubito ſuccubuit pieque obiit.

Pulſus in hydrope porro parvus, undoſus & mollis cum frequentia quadam.

Urina pauca, ſubrubra, quoniam Renes haud καθηκόντως conſtituti, muneris ſui ſunt obliti, tincturamque ex particulis ſalinis, ſulphureis, tartareis affabre produxerunt.

Expectant curæque catenatique dolores,
Gaudia non remeant, ſed fugitiva volant.

Signa Hydropis diſtinctiva ruminanda.

In

In Tympanitide, flatus multitudine peccant, venterque digito percussus; tympani adinstar pulsati resonat, moles ventris minus gravis quam *in Ascite*, tormina semper diuturna circa umbilicum præcedunt. *In Anasarca*, universa corporis circumferentia, à colluvie glutinosa, per carnem & sub carne effusa, æqualiter quasi intumescit, impressi digiti aliquamdiu remanet vestigium, venter inflatur minime, lotia alba ferme & crassa sunt.

à Reliquis denique Ventris infimi tumoribus p. n. nempe mesenterii, hepatis, lienis, scirrhosis & strumosis tumoribus, abscessibus, molis, signorum pathognomonicorum, causarumque prægressarum syndrome discernitur.

Lepidam & notatu dignam, hic in memoriam revoco Historiam, quæ contigit *in Thuringia Anno Christi* 1673. *mense Septembr.* de coqui Vinariensis filia 21. annorum, quæ usuram corporis sui, fugitivo permisit Venatori,

ex

ex impudicis & illicitis amplexibus, gravida fuit facta, graviditatem ut aſtutius Hydropis prætextu celaret, famæque conſuleret, fructus comedit horarios, atque multa ſe ingurgitavit aqua. Poſt quinque advocor menſes, ad ſcortillum hoc procax, vafrum & fallax, exquiſitiſſime examinans ſingula, hydropis & graviditatis phænomena actutum animadverto, Verum negavit obſtinatè, nec ab illa extorquere quivi veritatem prægnationis, niſi vafritie & impoſtura, promittens illi, me reticiturum quod ſciam, & effecturum, quo ab Eccleſiaſtica Poenitentia, de quâ compoſitiſſimè ſcripſit, *Sereniſſimi Ducis Saxoniæ Iſennacenſis Dn. Joannis Guilelmi, Domini mei Clementiſſimi.* Conſiliarius celebris D. Knorr, Amicus æſtimandus. In Saxonia, Thuringia & Haſſia uſitata adhuc abſolveretur.

Ad hanc ſtipulationem, arrexit aures, mihique fatetu ringenue, gravidam à quinque jam eſſe menſibus,

E quod,

quod, conditionis meæ conſcientia, haud cunctanter pavidis & conſternatis revelo Parentibus, illoſque exhortor ſedulo, ne alia, niſi duntaxat mea propinarent Pharmaca filiæ, quibus id præſtiti auſpicato, ut non ſolum ab hydrope, in quem ſe pertraxerat, liberaretur, ſed & nono enixa fuerit menſe, puellum ſanum & vegetum.

Forma decens, foedas vendit prurigine nates.

Porro Tabellarius V. L. *Hagæ Comitis* Viduus per triennium, ancillæ ſuæ quadraginta duorum ferme annorum, ante menſes novem, expectationem decipiebat & fallebat matrimonialem, ancilla extinguitur dyſtocia & non aſcite, ut fama volavit d. 13. Octobr. 1699. quoniam altero protinus die, præſentibus Me, D. D. Lockermanno, Chirurgis N. Ball. de Rover & aliis, cadaver fuit apertum, perquam gravem & tetrum ſpiravit odorem, oppidò Embryonem deprehendimus prægrandem, luridum &

mor-

mortuum, pedes defunctæ matris ambos oedematoſos, nimium diſtenſos ultra quinquennium, haud gravidarum more, culpa ergo lethi in dyſtocian, haudque hydropiſin derivanda, eheu

Scortari laus eſt, faſque decuſque jacent,
Regnat avaritiæ, luxuriæque malum.

Jatros, haud alienos à voluptatum illecebris, flammaque libidinis, Ægrotantium uxores, filias & ancillas ſiniſtro reſpicientes oculo, tangentesque illarum venas illicitas, bene novi:

Morborum cauſas per candida brachia quærunt.

Tales in extincta libidine irretiti, famæ, decoris, juramentique Hippocratici obliviſcuntur, improbi, perjuri ſunt ac infoelices:

Foelices animæ, queîs caſtus contigit ardor.

Caſtitatem Jatris valde commendantes Lacedæmonii, Æſculapium venerati ſunt Agnitem, cujus ſimulachrum ex agno fuit caſto, arbuſcula nempe pudicitiæ non eripiendæ, ſed

ſervandæ ac libidini reſtinguendæ dicata. Quapropter in Galliis & Italia, Philiatris laurea Apollinari condecorandis, Zona offertur, Renes cöercendos eſſe denotans, furioſas, effrenataſque lumborum cupiditates temperandas.

Ohe! momentum, quod delectat, æternum quod cruciat. Scortatores & adulteros judicabit Dominus. Neque ſcortatores, neque moechi, neque maſculorum concubitores, regni *Dei* hæreditatem poſſidebunt. *Hebr.* 13. 1 *Cor.* 1. Et qui ad proximi uxorem non acceſſerit, vita vivet *Ezech.* 18.

Caveant ſibi quoque Medici ſinguli, ne ſacra noſtra abutantur arte, quæ revera Solius *Dei* manus & munus, precibus adducti, vel auro corrupti, peſtiferum vel venenoſum exhibeant medicamentum, vel modum, illud præparandi, uſumque propinandi doceant perditiſſimos & profligatiſſimos homines, ut ante annos viginti, præter propter, in Galliis inter Magna-

tes contigit, quorum permulti, toxico fuerunt interemti, eſculentis miſto opiparis, vel etiam clysmatibus domeſticis. Enim vero, Rege Galliarum LUDOVICO XIV ira ardente, ardentem Lutetiæ Pariſiorum conſtituit Cameram, juxta cujus edictum laudabile, noxii reique conjurationis nefandæ, abjecta cunctatione, vivi fuerunt combuſti ſine diſcrimine ullo.

Claudium Imperatorem, Xenophon medicus veneno interimere ſategit è mandato Agrippinæ, taceo Eudemum, Zenocratem & alios homicidas medicos.

Superiori quoque memoria, *Carolum Calvum* Franciæ Regem, veneno ſuſtulit Zecchias Judæus medicus. Medicina, Ars cum ſemel ſit juvandi, non nocendi, nec infenſiſſimis etiam inimicis & improbis, ſua miſericordia ac opera ipſe deſit medicus; ſed ſedulo adjuvet ac exhortetur illos ſimul, ut *Deum* ardenter implorent, vitam emendent ac reſipiſcant, à *Deo* enim cura-

mur. *Psalm.* 40. *Psalmo* 145. *Act. Apost.* 3. & 9. 19. Sic Divinæ potestati, & non suæ prudentiæ, curationem Æneæ acceptam refert *Japis Medicus* apud Virgilium.

Non hæc humanis opibus, non arte magistra
Eveniunt, neque Te, Ænea, mea dextera servat.
Major ait Deus, *atque opera ad majora remittit.*

Nec levius, sed æque gravius existit scelus, animo deliberato pessum obtrudere corruptorium, hoc est, abigere conceptum, prohibere nasci, inducere sterilitatem, ut in aulis Maximorum crebro fit PRINCIPUM; exempla sunt odiosa, inque recenti tamen memoria, per φάρμακον abortiferum, injustae sic traditur neci, juxta Ciceronem; Spes Parentis, memoria nominis, subsidium generis, hæres familiæ, designatus Reipublicæ civis. Non dissentit. *Syracid. c.* 30. v. 5. 6.

Imo piissimus inquiat CHRISTIANUS, vita misere privatur foetus, in peccato

peccato conceptus originali, poſtque partum adhuc vivens, ſecundum *Dei* miſericordiam ſalvus faciendus, per lavacrum regenerationis ac renovationis Spiritus ſancti: quem effudit in nos opulenter, per IESUM CHRISTUM, Salvatorem noſtrum: ut juſtificati ipſius gratia, Hæredes efficeremur, juxta ſpem vitæ æternæ. *ad Tit. 3. v. 5, 6, 7.*

Heu quantum eſt ſummo poſſe placere DEO.

Nonnunquam accidit, ut fœminæ emiſſariæ, verſipelles & impudentes, vulgo Lenæ, à Medicis, pro abſentibus ægris, ſub gravium ægritudinum nomine, δραστικὰ avide expetant remedia, quin & emmenagoga ut plurimum, quibus ſceleſtiſſime abutuntur, eapropter Medici ſint circumſpecti, ſegnes ad credendum & præſcribendum, ne ſcelere nefario, conſcientiam & artem ſacram contaminent noſtram, atque à gravi poena, ignominia, infamia, ſic intacti ac integri maneant:

Pro ſicariis alioquin veris, habendos eſſe reos, ac capitali puniendos ſupplicio, Sacræ literæ, Canones & Leges, ſatis ſuperque inculcant.

Uſque adeo inviſa eſt probitas odioſaque virtus,
Tempore namque iſto vitio datur eſſe pudicum,
Eſt ſcelus eſſe pium, ſaeculi hæc eſt gloria noſtri.

De coetero, *Hydropis* noviſſe ſpeciem non ſufficit, ſed ſpecificum ejus gradum, qui merito vocatur magnitudo & vehementia, quo Prædictio & curatio eò commodius inſtitui queat. Tempora hydræ Lerneæ ſimul attendenda, principium ut cognitu difficile, ita facile augmentum & ſtatus.

Principium ſæpiſſime deliteſcit in tenebris, & lento generatur gradu, ſub diſpoſitionis aſthmaticæ vel hypochondriacæ nomine, idcirco ex inſidiis inſulturus noſter Morbus mature prævidendus ac extirpandus, ne altas & firmas agat radices in locis affectis, qui rite diſcernendi ſunt.

Quæ ſint, quæ fuerint, quæ mox ventura notentur.

CA-

CAPUT SEXTUM.

De Signis Prognoſticis.

QUod Tullius quondam, Romanis bellum diſſuadens, dictitavit. Omnis belli eventum eſſe ancipitem: Illud pariter & ego, ἰητρῶν παιδίοις κατὰ τὶ.

Alioquin arte in medica, nihil admirabilius, nihil glorioſius, quam intelligere, haruſpicinam auſpicatus eſt Medicus, & factum ita. Aeſtimatur tunc pro omnium Medicorum ſpectatiſſimo, prudentiſſimo & optimo, neque vetuſtate contrito excipietur dicterio illo:

à Sex Medicis, quam à ſcabino unico, damnari mortique addici præſtat. Medicina artium omnium facile Princeps, nam Principibus imperat

Maximis, quot & quantis expoſita ſit calumniis, non ſemel malitioſæ & mendacis infamiæ pungentem, multis ab annis, expertus ſum aculeum, tam perditè me in exordio Praxeos meæ ſauciantem, ut difficultate perculſus, doloreque percuſſus, immutandi ſtudiorum meorum rationem, vice plus ſimplici in animum induxerim meum, donec tandem ex juſta & ſpecioſa cauſa, propter fidem meam cognitam & ſpectatam, poſt *Deum*, prudenti ſimplicitate armatus, *Matth.* 10. ad ſacram anchoram, nempe illæſam meam conſcientiam *Actor.* 24. *v.* 16. confugerim:

Conſcia mens recti, famæ mendacia ridet.

Sic annexa quoque patientiâ, cuncta vici adverſa, non colluctando, ſed ſufferendo, non murmurando, ſed gratias agendo. Boni aliâs Medici, cum bonis Principibus, hoc habent commune. Lætari, bene facere & male audire. è Specula quaſi prævidens,

quod

quod Medici in præſagiendo nimis faciles, ſemper ægris & adſtantibus deriſui ac contemtui fiant, commiſſique erroris in curatione inſimulentur, auctoritatem ſartam, tectam, cum ὀργασμῷ amittant, haud memoranda illorum teſtantur auſa, Eja!

Qui ne tuberibus propriis offendat Amicum
Poſtulat, ignoſcat verrucis illius: Æquum eſt,
Peccatis veniam poſcentem reddere rurſus.

Signa Prognoſtica inundationis Microcosmicæ, è Noſodochiis potius, quam è libris in muſeis addiſcantur, à medicis nempe qui praxi multa, experientiæ & ſapientiæ filii facti ſunt.

Salutis & mortis. Aſcites per ſe & ſua natura, periculo haud vacat, quia curatu difficilis, eoque difficilior, quo magis radicatus & inveteratus, ob vires omnimode profligatas, hinc morbus immedicabilis neceſſario interimens, adſunt.

Pulſus languidus, remiſſus, cordis quod vitæ fulcrum, denotat ἀῤῥωςίαν.

Inappe-

Inappetentia ciborum omnium, certe levem recuperandæ valetudinis ſpem præbet. Vivendo quaſi moriuntur Aſcitici moriendoque vivunt.

Sitis incompeſcibilis, lymphæ exaſperationem, moeandrorum ac viſcerum κακοπραγίαν deſignat. Aſcitesque morbo acuto, febri, vel pleuritidi ſuperveniens, vel etiam chronico, podagræ, ſcirrho, mortale ſemper exhibet præſagium, propter vires jam attritas, everſas, atque τέκμαρτιν fuſtratam, ſiquidem aſcites, ut lippis tonſoribusque patet, pharmaca requirit ſtegnotica & alia, citatis morbis è diametro contraria.

Tuſſis, catarrhus ſuffocativus, ſuppreſſio urinæ totalis, lypothymia, frequens rheuma, vigiliæ, paſſio colica, ſemper inducunt mortem, ſicque terminum ſuum abſolvit noſter truculentus ac chronicus affectus.

Ad ſalutem tendit, μαρανθείσης τῆς νόσου, marceſcente morbo, Viſcerumque ſi adſit ἀδιαφθαρσία ac Virium integritas.

Som-

Somnus bene se habens & non πόνον adferens, bonum est signum.

Oculorum splendor & nitor, pupilla imaginosa.

Odoris vastitas & integritas. Gustus acer.

Auditus solers ac acutus. Dolor in corpore vel in ejus parte nullus, spem oppidò præbent salutarem. Nec non urina multa. Alvi dejectio lubrica solvitur tunc morbus. Sudor ultro citroque elicitus cum euphoria. Color faciei validus, bonam jugiter promittunt spem. Item vesicæ, sua sponte, nulla adhibita vi, in cruribus excitatæ & disruptæ, pristinam sæpicule adportarunt sanitatem; ad triste vero feretrum, gangræna, abscessus contumaces. Ungues & digiti quando sunt lividi.

Juvenes in ætatis, & virium ἀκμῇ constituti, felicius Senibus languidis, annorum morborumque pondere defatigatis restituuntur.

Sic *Erasmus Roterodamus* Basileæ, annum

annum agens ſeptuageſimum, Anno Chriſti 1536. vitam exlanguore lymphatico beate finiit, indeſinenter ſe erexit ſolatusque fuit, ex *Pſalmo* 89. *v.* 9. Cantabo miſericordiam *Domini* in æternum: ſanè, oratio ſine malis, eſt quaſi avis ſine alis.

Ex ſolo Domini *verbo ſapientia vera.*
In ſolo Chriſti *merito fiducia vera.*
In ſolo Coelo *vita eſt & patria vera.*

Enimvero

Omnia vim mortis metuunt: ſi falce minatur
Fatali, Ars ictum ſiſtere nulla poteſt.

CAPUT SEPTIMUM.

De Methodo medendi.

UT contra pelagi æſtus, ſolamen & tutamen exiſtit Anchora, qua exper-

expertus utitur Navarchus, ſic devotis precibus ac Euporiſtis fidelibus, ſapiens ſanitatis cuſtos, quibus dies noctesque invigilet:

Fide Deo, *precibusque tuis adjunge laborem.*

Altiſſimus, omnes noſtros fluctus ærumnarum ac ægrimoniarum optime novit, eapropter *Ille* implorandus ſine intermiſſione, Sacra ubertim atteſtatur Scriptura, in ſuccum & ſanguinem merito convertenda, tunc Medicinæ Doctor non facile cœcutiet in texto Microcosmi corporeo, vix enarrabili & explicabili, nec invitis, quod ajunt, canibus venabitur, ſed præceleri pernicitate, naturam Ægrorum, cauſam Morborum, gazam Auxiliorum, ad ſævum ac infenſum hoſtem debellandum & eliminandum, addiſcet infallibiliter *Deuter.* 6. *Matth.* 8.

Nî Deus *adfuerit, viresque infuderit herbis,*
Quid rogo Dictamnus, quid Panacæa juvent.

Abſit, Abſit *Alexander Magnus*, ſemet

met ipſum Jovis nominans filium, ſed paulo poſt corporis ægri ſenſit vitia, atque didicit ex inflicto vulnere, ſanguinem fluere humanum, ſeque mortalem eſſe. Ut corpus ſine dolore non eſt, ita animus non ſine perturbatione:

Eſt commune mori, mors nulli parcit honori.

Deum Ter Optimum Maximum, Sibi reſervaſſe tria, in quibus nec vellet nec poſſet habere parem, pronunciavit belle & feſtive: *Maximilianus ſecundus Imperator.*

Dominari conſcientiis. Scire futura. Ex nihilo aliquid facere. Sic dicit *Dominus Eſa.* 43. *v.* 16, 17. Qui dedit in mari viam, & in aquis torrentibus ſemitam. Qui eduxit quadrigam & equum, agmen & robur, ſimul obdormierunt, nec reſurgent, contriti ſunt quaſi linum & extincti ſunt.

Ævo noſtro calamitoſo, *quidam Potentes*, crudeliter dominantur conſcientiis, qua nulla certe intolerabilior tyrannis: Impietatem atque ſcelera,

lera, pallio Religionis ficto, ad Regiones acquirendas, hominesque decipiendos ſic ſe tegunt, *Deo* non ſunt ſubditi; tutiſſimum ergo *Deum* imitari & tacere, ἔχει θεὸς ἔκδικον ὄμμα. Tyranni confundentur omnes *Eſa.* 44. *v.* 11. ſtabunt & pavebunt & confundentur ſimul.

Quid memorem infandas cædes, quid facta Tyranni
Effera? Dii capiti ipſius, generique reſervent.

Sed digreſſioni, à propoſito meo ſit venia.

Cardo θεραπείας in Methodo Medendi conſiſtit, quæ duplex, univerſalis & particularis.

Illa, univerſalia perpendit theoremata, & immotis nititur demonſtrationibus, Medicum præclarum, ab inſulſo diſcernit raſore, ſcenæ ſerviente:

Hunc tulit ad ſcenam ventoſo Gloria curſu,
Exanimat lentus ſpectator, ſedulus inflat.

Particularis, ordine ac decenter

F præ-

præmemorata applicat theoremata, ad res præternaturam, quales ſunt, morbus, cauſa morbi, ſymptomata, quæ ablationem efflagitant cuncta; At conſervationem, Res ſecundum Naturam, videlicet Sanitas, Cauſa ſanitatis, Actiones. Hîc tres expendantur Indicationes.

Curatoria, Aſciten haud deſerendum, ſed auferendum eſſe, ſolicite admonet, quamvis ſit conſummatus & periculoſus, ſatius enim, aliquid agere quam nihil, modo fiat cum ratione & experientia, ſine ebrietate ſumme deteſtanda, peſſime tunc Medicus exſequitur ſuum munus, pertæſa viſitatione, ore ſuo balbo, atque gravi Vini odore: Sicut Medicus Quintus *Romæ* Galeni tempore, penes ægrotantem è cephalalgia, qui medicum bona dimiſit gratia, inconſiderate ſe gerentem, irrito abſceſſit incoepto:

Facit experientia cautos.

Præſervatoria, truculenti noſtri affectus

fectus causas, quantum quidem possibile, ut & symptomata expellit noxia, dolorem mitigat, inducendo ἀλύπως νάρκωσιν, neutiquam νέκρωσιν, contrarium proh dolor, ignorantiæ fratribus contigit, idcirco Ciceronis exhortationem in Epistolis passim suis, multi hodiè æmulantur *Belgæ*, dum scilicet Cicero omnes ac singulos suos allocutus fuit Amicos, & jussit, ut valeant, sanitatemque curent diligenter, evenit tunc, ut abstinerent:

Abstine, & efficies, quod medicina nequit.

Acri simul irruente annona, reique nummariæ difficultate, Sanitatis recuperatores periti, ad Ægros vel parum, vel raro, vel in mortis duntaxat agone versantes, advocentur in consilium:

Firma valent perse, nullumque Machaona queaerunt.
Ad medicam dubius confugit æger opem.

Vitalis Indicatio, Vires respicit prostratas & eversas:

Jam vigor, & quaſſo languent in corpore vires.

Haud cunctanter tam convenientibus alimentis, quam ſalutaribus medicamentis, reſtaurandæ ſunt Vires, ut & conſervandæ ἐυτάκτως καὶ ἐυσχημόνως. juxta quantitatem, qualitatem, modum & tempus. Tota, Medici ab ipſo medendi actu dependet dignitas & nobilitas, Compoſitæ mentis eſt, poſſé conſiſtere & ſecum morari.

Fortuna mutante vices mutantur amici.

Sed

Rebus in adverſis, tria ſunt mihi fulcra JEHOVÆ,
Cor patrium, os verax, omnipotensque manus.

Decantatum ſpectatæque veritatis, in Medicorum praxi, exſtat axioma, quod valet, ut nummi, ſecundum æſtimationem, conſenſum & uſum: Τὰ ἐναντία ἐναντίων ἰάματα: διὰ, τὰ ὅμοια σώζονται αἱ δυνάμεις.

Mali noſtri ſævi & ſæpe indomabilis, omnibus quibus fieri poteſt modis extirpanda ac removenda progenies.

nies. Tyrannum ſi auferre non licet, ferre Sapientis eſt: Scutum tibi magis, quam gladium ſume, ἀνέχου καὶ ἀπέχου. Ne quid quoque languenti recenſeas puſillanimo ſemper & ſuſpicioſo, atque graviorem inconſiderate ſic excites ægritudinem & ſuſpicionem, tardam, ſanitatis, Virium, alacritatis, lætitiæque reverſionem:

Multa audi, dic pauca, tace abdita, diſce minori
Parcere, majori cedere, ferre parem.

Therapia Hydropis *Tutò* aggredienda, præſidiis generoſis, ſelectis & probatis, ita ἀσφαλῶς pro virium tenuitate, ſolers & doctus pugnabit Medicus, absque omni liber manebit calumniâ; Minime vecors, indoctus, ſibi ſoli ſapiens, ſuoque tantum fidens experimento perverſo & præpoſtero, quod Ægros protinus in conclamatum præcipitat ſtatum, ac iis ſubitaneum accelerat lethum, crudelis & ſanguinarii Hominis officium perpetrat, & ad incitas redigitur:

Sit bonus & doctus Medicus, medicina parabit
Sufficiens lucrum Domino, morbosque fugabit.

Philautia, audacia, ſtulta eſt facilitas, artis ignorantiam, inconſtansque denotat judicium, cerebello igitur inſcripta ſint ſuo, duo: ut proſit, non noceat, à rectitudine recedat nunquam, citra multijugam experientiam, peragat nihil. Ut aqua ſuper lapidem cadens durum, hunc excavat, ſic morbi contumaces ac refractarii, ex præmeditata & aſſidua probatiſſimorum pharmacorum applicatione, perſæpe expugnantur, impetus obtunduntur, ne facile revertantur, tunc erit mihi Magnus Apollo, ſed ſero ſapiunt Phryges. Quæ pacis ſunt ſectemur, & quæ ædificationis ſunt invicem, cuſtodiamus. *Rom.* 14. *v.* 19.

Pax belli exacti precium eſt, preciumque pericli.
A mundo temni, mundum contemnere diſco.

Agas rem alterius, ut tuam, & vinces providentia durum, omnes ſimulac

mulac intendas nervos, quo morigeros & obſequioſos habeas Ægros, quod Medicus obtinebit facile, præſuppoſitis jam memoratis requiſitis, & quando ſe erga illos, affabilem, breviloquum, humanum, non auſterum, ſed & gratioſum gratiisque delibutum præbet, hinc Græci χαρίτων ἱμεροφώνων ἱερὸν φυτὸν, id eſt, gratiarum ſuaveloquentium ſacrum germen, unanimiter nuncu parunt.

Vincuntur molli pectora dura prece.

Gratificetur autem Valetudinariis, non nimia facilitate & auſteritate, ſed moderata & temperante utilitate, in illis, quæ non magnam adferunt noxam, facileque reſarciri queunt: Sint grata, munda, modica, ſuavia, oculisque jucunda. Auſteritas certe, tam ſanis quam ægris, difficilem dat acceſſum, odium, egeſtatem & moleſtiam gignit.

Attamen ille dives vere proprieque vocetur,
Qui valet eloquio, ingenio prudentia & arte

Humanitas nimia, servilis est submissio, adulationis inductio, lucrique inhiandi maledica suspicio, repudiationem ac contemtum apud ægros excitans. Nec non sermo nimius, est mentis gravitate carentis, peccatque frequenter multiloquus, atque ægris novus existit morbus, hirundoque vaga & garrula.

Succincte, nisi Medicus expertus, ab Ægris æstimetur & admiretur, nunquam illius obtemperabit præceptis, inprimis quando ipsemet deformis aspectu est, ulceribusque scatet, facie magis, quam facetiis riduculus habetur, vix digno excipietur honore: uti Thersites, Manducus, Diotrephes, cum sociis ac consortibus consilii. Qua propter prisci ævi sculptores & pictores, Apollinem Medicinæ Præsidem, juvenili, eleganti & imberbi facie, spectatoribus ante oculos posuerunt, ad evitandam ignominiosam vulgi exprobrationem ac diffidentiam, hinc tali.

A Medico decimus cur vix ſanabitur æger?
Aut ſors, ars, aut mors deficit aut inhibet.

Citò, ne procraſtinatione moleſta & nocua, languentes excandeſcant, occaſio curationis anima, turpiter prætereat, morbus ſerpat latius ac calamitoſe interimat. μηδὲν εἰκῇ μηδὲν ὑπερορᾶν.

Quæ celeriter fieri debent, celeriter abſolvere oportet, primario in acutis, ne natura ſuperata, remedia, naruræ manus & munera, tarde exhibeantur: Opportunitas revera caput proſperi ſucceſſus, ſecum enim ſi fecerit Medicus, verendum, ne quod Plutarchus de Nicia commemorat, Eum & ſe, & exercitum perdidiſſe, quod occaſionem rerum gerendarum negligeret, Medico ſimiliter ſe perdidiſſe Ægrum, exprobretur.

Deciſum ſtatuit tempus Deus *omnibus, ergo*
Non à ſarcophago liber erat medicus.

Dilatio in arte medica, maximum vitæ parit periculum, non ſinat ſe vin-

ci Medicus cordatus & peritus, ut Dux Belli, vel ab Ægrorum ac Adſtantium precibus ac importunis verbis, iniquitate temporis, ne Therapiæ retardetur curſus, adque plures abeant Morbidi, his blandiri, ſervorum eſt, *in Periphraſi meâ jatricâ* prolixius deduxi.

Pectoribus mores tot ſunt, quot in Orbe figuræ.

Omnes & ſinguli Valetudinarii perquam ſoliciti ſunt in reſtauranda Oeconomia corporis, utinam & hoc præſtarent πὰσῃ φυλακῇ in Oeconomia ſalutis noſtræ perennis *Matth.* 22. *Deus* T. O. M. ſuam extendit manum per totum diem *Eſa.* 65. *&* *Zephan.* 3. loco arrhæ dat nobis, ut maneamus cum *Jeſu* & ille in nobis jugiter *Rom.* 8. Sanitatis proin auctor *Deus*, *Dei* inſtrumenta, natura, ſed utriuſque Miniſter Medicus, & quoniam non ſemper poteſt fieri id, quod vis, id velis, quod poſſis.

Magna

Magna quidem merces, decus eſt, & gloria recte
Principibus ſtudiis poſſe placere bonis;
Sed tamen eſt majus Regi *parere* Supremo,
Præmia dat nullo quæ eripienda modo.

Jucundè, injucunda namque exterminentur Medicamenta, quæ tormenta, in uſum non Galenica tantum, ſed & Spagyrica, cum decenti chirotechnia trahantur, ſuavitate coloris, odoris & ſaporis prædita, quod ſapit & modice ſumitur, plerunque conducit, ſic ſolerti cuſtodia & propinatione decreſcit morbus, nuper incurabilis, nunc curabilis, ob exactiorem cauſarum cognitionem, atque præſtantiſſimorum auxiliorum inventionem, repugnante vero natura, cuncta judico irrita, multa tunc mota nocent, quæ ſi non moverentur, non nocerent, alias in confeſſo: Morbos nonnullos à ſola ſuperari natura, nonnullos à natura & Medico ſimul, tandem nec à natura, nec à Medico:

Quos natura domat, fruſtra medicina fatigat.

Plus

Plus ſemper judicio, quam ſtudio, Medicina utimur, non ut mortem vitemus; ſed ut eam integra quaſi ſanitate expectemus, igitur:

Omnem crede diem tibi diluxiſſe ſupremum.

Felicitas ſæpe practica, ab opinione vulgi, commendatione muliercularum, aliisque mille dependet artibus, quam ab eruditione medici, Vir bonus ad rem turpem, nulla ſpe invitabitur, nec de meretricum diſputabit formis; tutius ad *Summum*, quam in ſummo, quia huic imum adjacet, in plano tutiſſimum:

Summus ut eſſe nego; ſic ultimus eſſe recuſo;
Sim medius, mediis gratia major ineſt.

Studendum indeſinenter & ubique, alias, noſcet paucos ſecura quies, & dum fata ſinunt, vivamus læti, virtutemque proſequamur, virtuti nulla ecclipſis, nullum ſolſtitium: Virtus eſt, vitium fugere, & ſapientia prima, ſtultitia caruiſſe. Bene eſt, cui

Deus

Deus obtulit parca, quod ſatis eſt, manu, cogitemus æternitatem. Beati pacifici, quoniam filii *Dei* vocabuntur, & niſi *Deus* propitius eſſet malis hominibus, nusquam forent boni, quamobrem doce nos *Domine* computare dies noſtros, corque applicabimus ad ſapientiam *Pſalm.* 90. *v.* 13.

Securus morte eſt, qui ſcit ſe morte renaſci,
Mors ea non dici, ſed nova vita poteſt.

Jucundè Practicus ſcitus quoque medetur Ægris, ſi medela abs dolore ac inſigni inſtituitur moleſtia, fugiendo ſingula pro ingenii modulo, vel animum, vel ſenſus offendentia, offenſio ſanorum gravis, ut periculoſa, ſic periculoſior Ægrotorum offenſa. Cothurnis ſine intermiſſione fuerunt verſatiliores, Potentes, Divites, quos hodie inopes, homines ſine honore, ſine exiſtimatione, ſine cenſu, potius commiſeratione digni, ſtrenuo imitantur;

At à Medicis tamen non derelinquendi

quendi ſunt, impudentiæ ac illorum imprudentiæ aliquid condonandum, è charitate proximi, gratis, ſemper pauperibus faciat Medicinam medicus, cum ob gratitudinis memoriam, tum præſentem exiſtimationem, profectò ſanitas beneficio penſari poteſt nullo, inæſtimabile eſt bonum, hujus aſſerti veritatem ſtabilivit *Pyrrhus*, *Rex Epyrotarum*, cum innumeris ſuis aſſeclis:

Pulchra valetudo Regno regalior omni eſt.

Emis, inquit *Seneca*, *l. 6. de benef. c.* 34. à Medico rem inæſtimabilem, vitam ac valetudinem bonam; à bonarum artium Præceptore, ſtudia liberalia & animi cultum. Itaque his non-rei pretium, ſed operæ ſolvitur, quod deſerviunt; quod à rebus ſuis avocati nobis vacant, mercedem non meriti, ſed occupationis ſuæ ferunt.

Hippocrates autem *lib. de dec. ornat.* indiſcriminatim à nemine unquam accepit mercedem, contemtorque auri fuit, atque in amatores invectus vehemen-

hementer, graphice eluceſcit ex *Auſonio*:

Obtuli opem cunctis poſcentibus artis inemtæ,
Officiumque meum cum pietate fuit.

Verum enim vero, ſi *Abderites* noſter, acri & dura hac annona, *Belgium* incoluiſſet, in quo haud jacent pretia rerum, ſed valde magna exercentur & exiguntur Vectigalia; Tale non promulgaſſet præceptum, mihi crede B. L. obſtinate, quippe *Summates in Orbe Viri*, mercedem Regnorum, Principatuum, Provinciarum, Ditionum, & Prædiorum pronis animis, manibusque accipiunt contractis: Quidni Vigilantes & fideles Medici? qui mox cadunt è mente, ergo

Accipe dum dolet post curam Medicus olet,
Maximis in morbis Medico promittitur Orbis.

In memoriam hîc reduco, *Imperatores Severum* & *Antoninum*, Prudentibus olim præſcripſiſſe Advocatis, xenia & ſalaria à Clientibus ſolvenda; mo-

moderno adhuc ſeculo, laudabili in more; verum nec his, nec Medici conſtituta acceptant ſoſtra, propter ingratitudinem ſummam, quæ certe horridus eſt ventus, fontes facile omnes ac rivulos gratiæ & miſericordiæ in improborum Debitorum mentibus exſiccans, talibus, terra nihil pejus creat:

- - - Aut virtus nomen inane eſt:
Aut decus & pretium recte petit experiens Vir.

Ingrati & avari, morbo laborant incurabili, à quo minime liberari queunt, ut illi, qui metalla effodiunt, tantam ſæpicule habent difficultatem, diu noctuque miſeriam, (ut cum pace cunctorum quæſtuariorum dicam,) ceu Sues in coeno, poſt funera demum proſunt, Improbi ſunt homines qui beneficia ſciunt ſumere, & reddere neſciunt. Annon toto docemur die, ex philargiâ perniciosâ, odiorum pullulare cauſas, criminum pugnas, fratrum diſcordias, amicitiarum-

tiarumque diſſolutiones ac diſſipationes, mille ferme hîc *Hagæ Comitis* degentes Advocati, Procuratores & Notarii confirmant.

- - - - - Diſcordia demens
Intravit coelos, ſuperosque ad bella cöegit.

Res proſperæ, non niſi magnis conſtant impedimentis, quorum juſtus arbiter *Deus* eſt. Fortunam, ut tunicam concinnam magis proba, quam longam. Infelix fortunæ fidens, Sapiens vincit virtute fortunam, Idiotæ tantum caecæ fortunae ſunt indigi, eſt cauſa per accidens, & non manus practica. Experti igitur medici ab hâc, ſua in praxi proſperum ſucceſſum, nec Ægri ipſi, ſanitatem ſibi polliceri queunt, verum ab accurata artis medicæ cognitione, methodo medendi, ac divina benedictione. *Syracid.* 38. *Pſalm.* 133. *Johan.* 4.

Deſerit ille ſuos nunquam qui cuncta gubernat.

Quæramus primo regnum *Dei*, &

justitiam ejus, & reliqua omnia adjicientur vobis. Medici aliis inserviendo consumuntur, & cum παῤῥησία inquio. Sine pecunia, res terrestres esse omnes, quasi fornaces sine igne.

Et prodesse volunt & delectare Coloni;
Egregius Medicus, Mendicus non erit unquam.

Casus interdum exoriuntur extraordinarii, in quibus *Securitas*, *Celeritas & Jucunditas*, in Morborum θεραπεία combinari nequeant: utpote chronicis in morbis, Medicinæ custos, non *citò*, nec in illis, qui ἔμετον efflagitant, *jucundè*, scopum suum obtinere potest, occurrendum jugiter urgentiori, anteponendaque Securitas, & Celeritati & Jucunditati, ἐπιπολὺ mortis imminente periculo:

Felices frustra nobis promittimus annos;
Semper enim curæ, tristitiæque premunt.

CA-

CAPUT OCTAVUM.

De Fonte Pharmaceutico.

TRes ut ſupra enodavi *Indicationes*, ſic tres hîc enodaturus ſum *Fontes*; tribus è Regnis, Vegetabili, Animali, Minerali, nimirum ſunt *Pharmaceuticus*, *Chirurgicus*, *Diæteticus*.

E Pharmaceutico fluunt Fonte, *Eccoprotica* & *Digeſtiva*, deperditum Zymoma, per univerſam corporis λειτουργίαν diſperſum, viſcera & vaſa obſtruens, dilatans, debellans, disrumpens, providenter præparant, cicurant adque commodiorem disponunt evacuationem, ſiquidem ἰάματα ἡγεμονικὰ validiora, obſunt potius, quam proſunt, naturam ad officium rogare præſtat, quam cogere, fidam ratione

provoco experientiam.

è Penu Practicorum laboriosorum locuplete, sequentia duntaxat φάρμακα, assiduo & longo usui meo fuerunt, decenti quantitate, tempore & modo exhibita, videlicet, Mannata Rhabarbarina, Tartarea; Vitriolata, Martiata, Aloëtica. Aloë tamen sit succotrina purissima cruda, non lota, lotio enim crebra, particulas consumit fugaces, balsamicas, sicque facultatem deobstruendi, alvum blande subducendi, ἐκπύησιν arcendi, ventriculi imbecillitatem abigendi, remanentibus solum particulis terrestribus, castratis, parum vel nihil efficientibus, Midicamentum aliâs, quo simplicius, eo nobilius, & certius, incerto, composito, novo, usu nondum comprobato.

Processus spagyrici compendiosiores, longe efficaciores sunt operosis & prolixis præparationibus, quæ Medicamentorum indubitatæ sunt enervationes & sæpicule deceptiones, Scep-

Scepticis, Spermologis, Mysanthropis, Ciniflonibus immundis, relinquendæ, quam Practicis solertibus, qui mecum, cubitales quoque flocci faciunt Receptas, seu longas Medicamentorum formulas, quilibet, artis fundamentis rite imbutus, tales proprio marte, mox in hac, mox in illa forma, pro Hydropicorum intentione, concinnare & construere potest, modo in emolumentum & non detrimentum vergant ac excrescant. Sat citò, si sat bene.

Corpus εὔροον reddendum & servandum postea, haud postposito victus Regimine exquisito, quod plus toto revera præstat Pharmacopolio. Caput etiam felicis est Sanationis, investigare diligenter, num Hydropicus catharctica, vel mitiora, vel fortiora requirat? Ab his, cum nimis sint calida, notabilem colliquandi, massam sanguineam commovendi, Vires profligandi, Virtutem possideant, suasor sum actutum fidelis, ne caput

incidat audax in Scyllam, atque Æger pallidam in mortem, nam quod fieri poteſt per mitiora, tutiora & pauca, non debet fieri per plura:

Pondus equo tenero decet haud imponere magnum.

Verum enim vero, Hydropici, Athleticam degentes vitam, Milites, Navigantes, agros arantes, mitiora reſpuunt & aſpernantur, his magis læduntur, difficulter atque ægre purgantur, morbificum ἐνάντημα ineluctabile, in Oeconomia permanet animali, & pertinaciter accenditur, quamobrem Medicus, naturæ miniſter ac corporis Imperator, præſuppoſitis præſupponendis, niſi vellicans ac inveterata adſit Tuſſis, cum exulceratione Pulmonum, absque procraſtinatione ulla, adminiſtret.

Purgantia fortiora, quæ neutiquam obſtabunt & officient, ſi forte fortuna malum perſeverat refractarium, quemadmodum uno ictu non cadit quercus, nodoque duro, durus applicandus

dus eſt cuneus, multo uſu catharctica probata, validiora reiterentur, ne morbus recrudeſcat Ægrique vitam commutent cum morte, haud longo tamen intervallo, per ἐπίκρασιν, ἀρχομένων τῶν νόσων ἤν τι κινεῖν δοκεῖ, κίνει. Exulent hîc Artis jatricæ conſtructores famoſi, vel ſi mavis, deſtructores, de catharcticis ὑπερθρῶν conſcribillantes, haud eſſe boni Viri præſidia, miſere à prora & puppi peribunt:

Vos ego nunc moneo, felix, quincunque dolore
Alterius diſces, poſſe carere tuo.

Subſequentia præparentur lege artis, hydragoga, ex Mechoacanna nigra reſinoſa, helleboro nigro, colocynthide, cnico, elaterio, Chryſopo, Soldanella, gratiola. Palato grata & accepta ſint præparata chymica, quantum poſſibile, tunc Clinici geſtiunt adhuc Medico gratias perſolvere, & non facile repulſam feret, parvique æſtimabitur.

Ingenii ſtimulos ſubdere fama ſolet.

Ab Aulicis bene potis pocula hilaritatis, in ſomnifera, vel morbifera deîn degenerant, quippe de ſiti depellenda mirandum, quod ſoli omnium animantium homini, prudentiæ, rationisque capaciſſimo, ſine ſiti bibere uſu venerit, ſæpenumero in tempeſtuoſam, microcosmi inundationem ceciderunt, à me ut plurimum formumulam Vini Medicati depopoſcerunt & expetiverunt:

Per quod quis peccat per idem punitur & ipſe.

Clyſteres, ex rad. bryon. ir. noſtrat. Cort. inter. ſamb. frangul. fl. acac. ſylv. bacc. laur. cum ſalibus ſpecificis & aliis, ſunt perneceſſarii, bis in hebdomade injiciendi tepide, non frigide, ubi murmura, bomborygmi, dolores atque ſcybala percipiuntur.

Suppoſitoria, ὑπόθετα, βάλανοι, Græcis nuncupata, Clyſterum ſæpe vicem ſuſtinere queunt, ſuppoſitorium ex

alumine

alumine crudo adaptatum, oleoque illitum, alvum inobedientem officii ſui admonebit, ſemperque ad manum ſit.

Vomitoria, num conducibilia ſint ſerra contentionis reciprocatur inter Practicos, quidam his indiſcriminatim aſſenſum præbuerunt, profecto ferrum candens non forcipe, ſed digito attrectant, pueri ſunt centum annorum *Eſa*. 65. *v*. 20. At ego longe diſſentio, niſi in hydropis ἀρχῇ, ἀναῤῥόποις καὶ ἐυσπλάγχνοις, alioquin propter ventriculi ἀῤῥωςίαν, muſculorum abdominis ςενοχωρίαν, vaſorum lymphaticorum ἀναςόμωσιν, magnam δυσπνοίαν, præcordiorumque anguſtiam, lympham cum anima evomunt. Mirum & magnum ſæpe fecit effectum prima in herba, non alta hydropis radice, ut jam innui cum animadverſione excitata, vix effugienda. Tartar. emet. cum ſale appropriato. vel. Tinct. emet. rubr. guttatim ſumenda. Vomitoriorum è regno vegetabili depromtorum

 uſus,

uſus moderno ſeculo ferme exoluit; è Praxi clinica methodus addiſcenda, & non è cathedra philoſophica, cæteroquin Philoſophi, optimi eſſent Practici.

Qui levem expetit ἔμετον, aſſumat Emeticum ventriculo potius pleno, quam fortius vacuo, non illico ſuperbibat cerevifiam, aquam tepidam, vel Zythogalam, vix tunc commovebit Vomitum, ſed toties alvum, quoties non credi poteſt, ob ſalinam εὐπορίαν, aſcitici difficulter vomunt.

Diuretica, contra inſignis Medici arbitrium, tempore matutino, ventriculo inani, alvoque depleta, exoptato cum fructu, Hydropicis propino meis, nempe colluviem ſeroſam eructantem & ſtagnantem, ad Renes & Ureteres, impetuoſi venti in modum deducunt, per hos utiliter educunt, ſicque Maſſam Sanguineam Circulantem ſingulariter mundificant, hac tamen adhibita cautione, ne Diuretica Catharcticis præmittantur, animoſe

tunc

tunc Medici memorati opinio de diureticorum inutilitate, defendi, placideque reconciliari poteſt.

Diureticorum inſiſtens uſui, alvi conſtipationem haud cunctanter clysmatibus arceo congruis, ne graviorum ſymptomatum συνδρομὴ exoriatur & naſcatur, fiatque ὕστερον πρώτερον.

Diuretica inſuper cum Diaphoreticis peculiarem habent analogiam, lympha videlicet ſecernenda, ut & modo, ſecedunt autem loco, gradu, doſi. Diuretica minorem, Diaphoretica majorem efflagitant doſin, ob iter, ad glandulas ſubcutaneas, tubulos lymphaticos diſperſos, longius; brevius ad renes, ſed longior hîc eſſe nolo.

His alias poteram & plures ſubnectere cauſas.

Lixivium diureticum è Vino Moſellano puriſſimo & cineremeo compoſito, in debito præbio, cum induſtria ſumtum, mirifice Hydropicos meos juvit: Quin & Vinum Malvaticum

juni-

juniperinum. Tinctura mea balſamica correcta. Eſſentia vincetoxici nitrata.

Non inconſulte, ſemel, vel bis, de die, regioni Renum, Umbilici & perinæi illinendum ol. ſcorp. M. tereb. foenic. trifol. odorat. Vel etiam Cataplaſm. appropriat. applic. cum Ægrorum ſuffragio.

Diaphoreticis, lympha exitiabilis poros cutis conſtipans, turbationemque adferens, quotiescunque Vires, Habitus corporis, Ætas, Conſuetudo, aliaeque permittunt circumſtantiae, ſalutariter expellenda & exterminanda eſt, laudabili in ſudore vel madore maneant Hydropici, ſic calidiores, & vegetiores reddentur, elicitur vero ſudor, internis, quæ impellunt, fundunt, in halitum, per manifeſtam, vel inſenſibilem διαπνοὴν, convertunt, ut ſunt Tinct. Bezöart. Eſſ. Lignor. Sal hermaphr. Ægagropil. Aq. omn. flor. Per imperitiam nihil committat Medicus, ſed πάσῃ φυλακῇ ad rationes & experientiæ normam

mam ac formam, dirigat curam, ſi quid penes Ægros bene faciat, levior plumâ eſt, ſin decens deficit operatio, plumbeas confeſtim iras gerunt. Recte faciendo tamen neminem timeat, quamvis amaræ ſint pilulæ, amariores injuriæ, utraeque deglutiendæ, neutrae maſticandae; Amareſcente autem mundo, dulceſcit JESUS, qui mihi totus datus, inque uſus meus expenſus eſt totus. Et ſi *Deo* meo, in hac miſeriarum valle, utilis fuero, laborem non recuſabo, ſin non, *Dei* fiat voluntas.

Externa ſudorifera, cutis ſpiracula rarefaciendo profluenter adjuvantia, Balnea ſunt artificialia liquida, ex aqua dulci calida cum herbis, floribus & radicibus aromaticis, ſumma cum euphoria, multis ab annis, in Aſciticis meis uſus, Fomenta, pediluvia, quoque dolorum ſolatia, atque ſtuphæ ex aſſeribus ligneis compactæ, Lue Venerea laborantibus conducunt, corpore bene purgato,

ven-

ventriculo jejuno & ſic porro.

Memini me in priſcis legere Annalibus, ultimam antiquitatem inſenſibiliter diſcutientia magnifeciſſe, Hydropicosque in arena ad ſolis radios paulisper ſepeliviſſe, vel in acervo tritici, milii, inſolaſſe; ſed prætulit tamen fimo exponi bubulo, *Heraclitus Epheſius*, in eo obdormiſcens, à canibus dilaniatus atque ita exiit è contemtibus, contemtumque accepit præmium, ſiquidem Medicinæ Medicorumque contemtor fuit maximus: Non paucos ubivis ſordidos ſuos reliquit aſſectatores, divitiis unice deditos, juxta atque

Magnates, dare parva pudet, dare magna recuſant.

Boni pro parvis etiam ſunt grati; Tenaces ſeu attentiores ad rem, attentiſſimis audiant animis, Lares mutilos, hiantes, vultures & corvos eſſe: Citius aquam maris exhaurias *Schevelingæ*, quam avarorum deſideria, eisque pueris, magis ſunt pueri, quia

jen-

jentaculo ſuo & potiuncula contenti, plura non concupiſcunt:

Prodigus in vitio minus eſt quam prorſus avarus;
Virtutis potius congruit ille modo.

Arena calente cum ſacculo appoſita, ſudorem in corporibus, ægre ad ſudorem proclivibus, ſingulis fere ſeptimanis excito, potumqe calidiusculum ſuadeo Lignorum, ita pori tenentur aperti. Eſſentiam ambræ gryſeæ veræ cum diaphoretico meo Magnatum, Legatis quatuor exhibui miſſis ad *Pacem Rysswicenſem*, demirati ſudorem ſuaveolentem, quibus valde delectati ſunt, quos dein curioſitatis cauſa adhuc docui, ut Spiritu Vini Moſchato in laconico accenſo, corpora per cubicularios, diligenter fumarent, extulerunt eventum.

Et recreant feſſos blanda lavacra Viros.

Salutares inſuper ſunt Thermæ, MegaSwalbacenſes, Wissbadenſes, Emb-

Embsenses, Carolinæ, Aquisgranenses sat notae. Sileo Turcas, thermarum amatores maximos.

Frictiones, Inunctiones, sua non destituuntur laude, nec non hypocausta calefacta, in quibus ad animi usque deliquium sæpicule sudare solent Sueci, Dani, Russi, Prussi, Poloni, Germani, minime Belgæ nostri.

Multiplici & non tortuoso didici experimento, è Chymicis desumto, sudorem Hydropicorum, magis esse acidum ac concordare cum spiritu nitri; Podagricorum vero, cum oleo tartari per deliquium, atque magis salinum esse.

Ex lotione in piscina Siloam, homo coecus recepit visum. *Joan.* 9. *v.* 7.

Ecquem fugit Probatica Piscina? cognominata Bethesda, seu Beth-saida, multitudinem magnam, Ægrorum, Coecorum, Claudorum, aridorum, expectantium aquæ motum, sanans. *Joan.* 5. cum attentione legatur & memoriæ imprimatur.

Et

Et videt & librat justa Deus *omnia lance.*

Si apud *Deum* Triunum depoſueris injuriam, ultor erit; ſi damnum, reſtitutor; ſi moerorem, conſolator, ſi dolorem Medicus. Medicina profecto humanæ miſeriæ eſt meditatio. Hodie multis cura eſt præcipua, ut ſapientes videantur medici, quam ut ſint, Grandes auctoritatem habentes, ſervili occoecant adulatione, & ſic faſtigium tenent inter Collegas, ſed tamen Grandes:

Sunt homines, humeris quos ſiquis geſtet ad urbem
Auſoniam, domiti quæ capit Orbis erat.
Nî tamen ad portam placide deponat Eosdem,
Gratia præteriti nulla laboris erit.

Tum demum Aſcitici in vado ſalutis exiſtunt, quando laticis corrupti minera, promte eruta, Sanguinis acrimonia rite oppugnata, Viſcera mirum in modum labefactata, diligentiſſime reſtaurata, Vaſa numeroſa rupta lymphatica, σωφρόνως à pervigili Medico conſolidata & conglutinata ſunt. Se-

lectiora indesinenter & jucundiora, longo usu, experientia propria, haud casuali comprobata, magnopere commendo *Corroborantia & Stegnotica*, nempe Electuarium analepticum. Species meas Megapolitanas. Aquam meam mastichinam spirituosam. Elixir stegnoticum Isennacense. Pulverem pretiosum Cassellanum. Tincturam cardiacam meam pergratam.

Topica, partibus subinde certis applicanda, minime negligenda sunt, utpote Balsama, Spiritus, Olea, Linimenta, Emplastra, Sacculi, Epithemata, cuncta paratu facilia, silentii peplo, ob Praxin luculentam, involvo.

Analepticorum ac stegnoticorum Medicamentorum usui insistens, non amplius ad drastica devenio, in quo plurimi cespitant Practici, sic cicratricem obductam refricant, Circuitum Sanguinis legitimum perturbant, àque scopo aberrant.

Sitis inexplebilis, Hydropicis negotium

gotium faceſſens, commodiſſime mitigatur. Succo granatorum, berburum, Ribium. Spiritu ſalis ſtriato. Sale accetoſellæ eſſentificato gratiſſimo, nempe hujus ſcrupulum unum, ſaccharo perlato, unciam unam addo.

Symptomatibus cæteris turmatim irruentibus, ſecundum Indicationes ſuas, expertæ induſtriæ Medicus cogitato medeatur, ſalutaribus medendi præſidiis inſtructus.

Quod potui, feci, ſuperis ſint caetera curæ.

CAPUT NONUM.

De Fonte Chirurgico.

FOns Pharmaceuticus ad morbi noſtri atrocitatem debellandam adhibitus incaſſùm, *Chirurgicus* haud cunctanter ſocius ac conſors ſit quo

profecto ultimæ antiquitati, nihil fuit antiquius, nihil prius. Decantata & satis terrifica existit sententia.

Quæ Medicamentis evinci nequeunt, ea ferro atque igne corriguntur:

Si non morbosos sanant Medicamina, Ferrum
Arripi; sin frustra, Pharmacon ignis erit.
Hæc tria nî possint Ægris adferre salutem,
Amphitryoniadis robur inane cadet.

In fonte Chirurgico primitus se sistit *Venæsectio*, verùm hanc rejicio ἀφόβως, quoniam homo 1 *ad Cor.* 3. *v.* 16, 17. templum *Dei* est, Spiritusque *Dei* habitat in eo: Si quis autem templum *Dei* violaverit, disperdet illum *Deus*. Templum enim *Dei* sanctum est, quod estis vos.

Sanguis etiam vitæ thesaurus, inconsiderato elicitur, cumque eo, ipsa non raro anima *Genes*. 9. *v*. 4. *Levit*. 17. *v*. 11. *Deuteron*. 12. *v*. 23. Nullatenus morbi nostri radix, Machinæ vitali atque rotanti encyclopædiæ

diæ molestissima. Sycophantæ rudes, populo credulo, ac delirantibus præcipue mulierculis, verborum fumos vendentes, crumenas auro emungentes & vitam adimentes quotidie, absque ullo discrimine, videlicet in ventriculi cruditate lienteria, dolore colico, cholera, lienis scirrho, aliisque affinibus morbis, Venæsectionem audacter administrant, atque ita tantam ignominiæ notam sibimet ipsis inurunt, quantam vix, vel omnino non, omnibus Oceani undis eluere valent;

Sed Medici solida eruditione atque multijuga suffulti experientia, in morbis acutis, Microcosmi diluvio ἀθρόως supervenientibus, mortisque periculum minantibus, uti sunt, syncopes cardiacæ, graves apoplexiæ, impetuosæ stagnationes, vasa distendentes, erodentes, rumpentes: Catarrhus suffocativus, angina, peripnuemonia, pleuritis, confestim ad generosum, modo vituperatum confugiunt

 ac

ac accurrunt remedium, ceu ad ſacram aliquam arcem ac anchoram.

In hæmorrhoidum ſuppreſſione, hemicrania, ophthalmia pertinaci, impetigine. *Hirudines* valde conducunt, linteo comprehenſæ adhibeantur, è manibus nudis facile elabuntur, quandoque nec ad aſperſum ſalem, nec ad cineres, ad guttulas vero aliquot Spiritus Cornu Cervi potinus deciderunt, vice plus ſimplici edoctus.

Pueri inſcitia & malitia, decem millia verborum aliâs loquentes, (quod quinque duntaxat verbis intelligibilibus. Viri perfecti efficere ſolent,) hîc magis muti ſunt quam piſces, aſino oſſa dant, cani vero paleas.

Scarificationes magnas & profundas, Veterum non pauci, in partibus inſtituebant tumidis, nimirum abdomine, cruribus, femoribus, talis, pudendis, & quidem in Hydropis principio, viſceribus adhuc ſanis, viribus hydropicorum integris, penes Maroccanos

roccanos modernos nondum res fuit desueta, in humanos, barbarosque hos, natura, robore, moribus, ustiones etiam frequentissimas, in plerisque morbis, cum candente ferro exercere, qualis vix Christiani exercerent in ferocibus belluis, & ita sanitatem expectant, susque deque habent belluarii citati, cantiones, discursusque palpum obtrudentes. Nonne vides hîc mundum ipsum in humanitate redundare, atque infinitas adversus hominem affectiones cumulare? Ut mihi nuper Spectatissimus Consul Batavus in patriam redux prolixe recensuit.

Verùm ego cum Neotericis Christianis scarificationes quoque mitiores propter leve levamen, gravem metum adfluentis lymphæ, doloris, inflammationis, gangrænæ, cane pejus & angue devito, nec non:

Vesicatoria, nisi à natura vesicæ sint excitatæ, haud tristem subministrant præsagitionem, quoniam scatebra erodens, sic se exonerat commodè, nec

ſanitatis ſpes tunc concidit omnis:

Alioquin beneficio Veſicatoriorum rite præparatorum, omnes affectus ſoporoſi, dolores, nervorum contractiones, cephalalgiæ, nodoſitates & gummata gallica dolorifica, aliquoties reiterata, donec dolores & nodi evaneſcant, feliciſſime curantur, in pluribus ſum expertus. Dolor tibiæ, nullis plane remediis, ne opiatis quidem cedens, ceſſit his, haud ſpretis ſimul cinnabarinis. Hæc cum grano ſalis adminiſtrentur, ut & antimoniata, mercurialia, martiata, tartarea, alcalina, volatilia, ἐνεργέστερα vocare ſoleo φάρμακα, præſupponens ſemper Eorundem exactam & peculiarem chirotechniam.

Altera natura eſt habitus, quam junior artem
Perdiſcas, tollet nulla ſenecta tibi.

Fonticulos, nonnulli ad coelum usque extollunt, vel actuali, vel potentiali excitatos cauterio, verum conſultius, ab eorundem uſu in hydro-

pis

pis ἀκμῇ abſtinere prorſus, quam ulcera facile cancroſa & incurabilia expectare, phosphorus vitalis partium valde puſillus, & propemodum extinctus, quid ſæpenumero non produxit? Τοῖσιν ὑδρωπικοῖσι τὰ γενόμενα ἕλκεα ἐν τῷ σώματι, οὐ ῥηϊδίως ὑγιάζεται.

Fonticulos tamen profuiſſe brachiis & cruribus nondum tumidis applicitos, alioquoties in Praxi meâ annotavi, artibus quippe ingenuis adverſum ac inimicum, autoritati tantum ſervire & non veritati.

- - - - - Vires inſtigat, alitque
Tempeſtiva quies: major poſt otia virtus.

Setaceum, tumido in ſcroto circumſpecte adhibitum, Serico nempe filo lege artis transmiſſo, cujus, cannulæque adaptatæ beneficio lympha ſubmoleſta, hydragogis nullis hactenus cedens, ſumma cum εὐφορίᾳ, iteratis excernitur vicibus & ad arcendam gangrænam peropportune emplaſtrum de ſpermate ranarum camphoratum, vel

prophylacticum imponitur usitatum. Perforatio hæc periculosa non est, quoniam partes principales à laesione omni sunt immunes, modo in parte fiat decliviore, neutiquam versus penem.

Paracentesis, vetus pariter ac postremum, in diro nostro affectu Chirurgicum est auxilium, non, nisi sex probe pensitatis conditionibus, administretur: 1. Ventre à colluvie serosa nimium gravato, 2. Viribus nondum profligatis. 3. Ægris εὐσπλάγχνοις. 4. Febre absente. 5. Senecta nunquam rugosa. 6. Nec in agone mortis constituto juvene, corporeque emaciato prædito.

Sic solers Sanitatis Opitulator; neminem lædit, neminem corrumpit, neminem circumvenit. Is, qui τῶν σημείων cognitionem sibi acquisivit, perpensè omnia aggreditur, de iis καλῶς judicat, καὶ τούτων ἐστὶν ἀγαθὸς κρίτης.

Quo in loco Operatio celebranda? Exercitatissimi discordant Practici: In

In umbilico prominente tumefacto, veſicæ ad inſtar pellucidæ, inſtitui alioquoties, viam natura ſibimet ipſi per umbilicum oſtendente, quæ optima ſemper Morborum medicatrix; Umbilico autem retracto & admodum profundo, nulloque tumore conſpicuo, quin & in ſcroto ſano, ceu opere periculi pleniſſimo, deſtiti omnino. In recordationem hîc redigo, Ægyptios punire ſupplicio prædatores ſuos, nempe vivos illos excoriant & miſerrimè excruciant, cultro umbilicum minime tangunt & lædunt, quo autem diſſecto, vaſisque umbilicalibus disruptis, mox privantur vitâ.

Campus igitur Martius eſto, ἢ παρὰ τὸν ὀμφαλον, ἢ ὄπισθεν κατὰ τὴν λαγόνα, in medio ſi fieret, linea certe candida à Cartilagine Xiphoide ad oſſa uſque pubis per medium excurrens ventrem, pungeretur, cujus è læſione, convulſiones, agyrpniæ aliaque gravia excitantur ſymptomata, perforatos cito interimentia. Prægreſſo unanimi ægrotantis

tantis & Conſanguineorum conſenſu, Archiatrum Coeleſtem precibus ſimul fatigent ardentibus, quò omnia in *Dei* gloriam, Aſcitici ſalutem, vergant ac excreſcant. Medicus à latere habeat.

Chirurgum manu promtum & artis ſtudioſum, digito ſpatio prius explorato & invento, illud atramento notet ſcriptorio, ne conſpectum effugiat noſtrum.

Deîn inſtrumento perficiat acuto, polito & uſitato, ordine & decenter, haud neglecta fiſtula idonea intromiſſa, nullam plane noxam vulneris labiis inferente. Abdomen καθ' ὀλίγον comprimatur, quò lympha effluat corrupta, non confertim tamen, aliâs vitam cum morte commutant, nam, πᾶν τὸ πολὺ τῇ φύσει πολέμιον. Turunda infiſtulam intruſa, oleo irrigata hæc ſit adſtringente, emplaſtro muniatur & deligetur congruo. Deligatio haud removenda, niſi die ſubſequenti, dum de novo educenda eſt aqua. Cardiaca interna, adminiſtrentur nec non alimenta analep-

tica,

tica, corpori bonum & laudabilem ſuccum ſuppeditantia, quo vulnus conſolidari queat citius, ſingularique cum dexteritate vires revocentur proſtratæ.

Ferreæ ſic curæ colophonem impono, acuumque aurearum minimarum puncturam, Indis perquam familiarem, libentibus facile omnibus relinquo.

Explorant adverſa Viros, perque aſpera duro,
Nititur ad laudem virtus interrita clivo.

CAPUT DECIMUM.

De Fonte Diaetetico.

IMmenſo velitationum pelago trajecto, feliciter velificor in portum, in quo navigare placet, mutata velificatione, quapropter Victus rationem ſtudioſe conſidero, absque qua, prolata

lata hucusque βοηθήματα, irrita essent cuncta, ex *Syracide* patet abunde.

Fercula multa, multos producere morbos. *Altissimi* enim prohibito, cibi non voluptati, sed necessitati hominum inservire, & quò simpliciores, eò salubriores, quos voraci hoc ævo, susque deque habent Galli, struicibus sane gloriantes patinariis, aliosque seducentes Populos, struix inde malorum.

Accipimus vitam brevem, prodigi sumus, inopes simus. Amplæ ut opes ad malum pervenientes Dominum, mox dissipantur ac dispergunt, ita modicæ, bono traditae custodi, accrescunt:

Adde parum parvo, quam plurima confer in unum,
E parvo tandem magnus acervus erit.

Interrogans ego, paulo ante beatum è vivis excessum, Plurimum Reverendum & Clarissimum, Dominum *Joannem Schellhammerum*, Ecclesiasten Lutheranum Hagiensem, emeritum, Com-

Compatrem & Fautorem meum ætatèm colendum, quomodo ad talem ætatis longinquitatem pervenerit, respondens mihi dixit: Vitæ innocentia, integritate atque Diætæ frugalitate. Cibi ergo modicus, ſibi medicus.

Unam gulam, omnium penè morborum primariam eſſe cauſam, præmeditate aſſero:

Eva genus noſtrum felicibus expulit arvis.

Nonne Protoplaſti noſtri, ſola vetiti fructus comeſtione, ad nos, ſerosque noſtros Nepotes, Mortis transplantarunt neceſſitatem? à morſu mors, lex univerſi, ſeu ultima linea rerum:

Pauperiesque laborque fames & mille dolores
Et totæ morborum acies comitantur euntes.

Apprimè Diaeta in Naturalem, Vitalem & Animalem diſpeſcitur.

In Naturali, Victus ad formam, quantitatem, tempus & qualitatem dirigatur. For-

Forma, ſpeciem & ſubſtantiam comprehendit. Ratione Speciei, Victus ſit mediocris & tenuis, cum fame à menſa ſurgat aeger. Quo ad ſubſtantiam, cibus ſuppeditur ἔυχυμος, ἔυπεπτος καὶ ταχυτρόφος, boni ſucci, facilis concoctionis & celeris nutritionis.

Quantitas, à firmitate & imbecillitate Ventriculi, dimetienda & ita moderanda, ne noceat τῷ πλείῳ καὶ ἐνδεὲς, copia & indigentia. Sanitatis ſtudium non ſatiari cibis, impigrumque eſſe ad labores. Corpora inprimis impura, quo plus nutriveris, eò magis læſeris, læſo nempe Ventriculo, arduum primæ digeſtionis negotium, indubitatò hoſtilibus morborum myriadibus anſam præbebit, tunc

Quo ſemel eſt imbuta recens, ſervabit odorem
Teſta diu - - - - - - -

Recordor hîc ſpurci heluonis & gurgitis nati abdomini, ſatis noti, imprudenter Diaetae regulas ſubſannantis, ſic ille ſuam, Ægrorumque plu-

plurimorum vitæ ſtamina, dirarum in modum Parcarum, abrupit:

Turpe eſt Doctori, cúm culpa redarguit ipſum,
I præ, dêinde ſequar mox pede cancer ait.

Supremum profecto longaevae vitae præſidium, ſobrietas 1. *Corinth. xi. v.* 2. *Roman.* 13.

Felix qui didicit contentus vivere parvo.

Immoderatis rebus, natura frangitur & quanquam mens dignitatem præſtet, utriuſque tamen incolumitas, ab utriuſque pendet officio. Et ingenio pollere non ſufficit, ſed eodem recte uti. Bene ſperando & male habendo mortalium tranſit vita, Perque Medentum inſcitiam, mortalium abbreviantur dies, & gibboſa fiunt ſepulchreta. Ætate noſtrâ, nemini facilius creditur, quam Medicum ſe profitenti, cum tamen in nullo mendacio, periculum ſit majus, optima quapropter medicina, nullâ prorſus uti medicinâ, à tali medicaſtro.

Præmissas fellis sequitur conclusio mellis.
Ut nulli nocuisse velis, imitare columbas;
Serpentem ut possit nemo nocere tibi.

Aphoristicè, simplicitas astu bene fermentata triumphat, Magnusque quæstus est, Pietas cum animo, sua sorte contento 1 *Timoth.* 4. *v.* 8.

Hujus & illius Pietas dat præmia vitæ.

Hoc Præceptum commendo tibi, fili, ut militiam milites bonam. Habens fidem & bonam conscientiam. 1 *Timoth.* 1. *v.* 18, 19.

Sit vulnus quodcunque, dummodò non conscientiæ. Et Verbum *Dei* verum medicinæ Zymoma, quod in Nobis habitet abundanter in omni sapientia ad *Colossenses* 3. *v.* 16.

Ὁ κόπος οὐκ ἔστι κενὸς ἐν Κυρίῳ χωρὶς αὐτοῦ οὐδὲν.

Omnia tunc splendent, splendet si pectore Christus

Christianus Medicus, quotidie Sacra evolvat Biblia, meditationes habeat divinas, pias, pavidas, Vita illi

studia

ſtudia ſint, delitiæ, meditatio, divitiæ, ſcientiæ. Sed B. L. digreſſionis meæ culpam, in pium meum Zelum trajicias. Credens animæ immortalitatem cum conſtantiâ, mundi valedicit vanitati. *Hebr.* 12. *v.* 22. *Epheſ.* 6. 2. *Petr.* 2. *v.* 20. 21. 22. *Matth.* 23. *v.* 27. At tamen exiſtimo omnia, detrimentum eſſe, propter eminentem ſcientiam JESU CHRISTI Domini mei: Propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror ùt ſtercora, ut CHRISTUM lucrifaciam, ad *Philipp.* 3. *v.* 8. In *Deo* meo omnia: *Eſa.* 44. & 61.

Eſto quod audis, Symbolum Imperatoris *Valeriani Aureliani*, quondam erat, quod & quilibet indeſinenter conſideret. Per linguam niſi ſignificantem, ſermonem dederitis, quomodo intelligetur id, quod dicitur, eritis enim in aërem loquentes. Sapiens cum tranquillitate de morte cogitat, ut portum æternæ vitæ attingat:

Mors tua, mors Christi, fraus terræ, gloria Coeli,
Et dolor inferni, sunt meditanda Tibi.

De cætero, Tempus cibationis, uti omni in morbo, ita & in Ascite constituatur, nihil magis officit, Viresque atterit, quam jejunare diu, & inordinate cibum ingerere, ad summam usque noctem & gulam; Consuetudini tamen indoctæ quandoque aliquid condonandum, subita enim, à consuetudine penitus immersa, abstractio, nemine contra nitente, pessima sæpe. Nec non Cibatio, in ipsa lypothymiæ vel exacerbationis febrilis invasione, sodes dic, ecqua exin nutritio? spirituum refectio ac restauratio? Annon perniciosus illico inuritur character, imo ipsa mors, multi attestantur casus tragici. Natura vult duci non cogi.

Fatales veniunt casus, sperataque nunquam
Damna, licet caveas, effugiasque procul.

Ab uno extremo ad alterum haud dela-

delabendum. Homines ægri à Sanis maxime ſunt diſcernendi, Hi, nullis plane ſe legibus obligant, nec Medicis indigent, multifarium vitæ genus eligunt, frequentiſſime ſe exercent, rariſſime quieſcunt, nullum alimonii genus reſpuunt, ſive diu, ſive noctu, interdum conviviis interſunt, interdum ab his ſe retrahunt. Venationibus perquam deditos *Sereniſſimos* novi *Principes*, de die ter vel quater cibum capientes, maturam ſic ſenectam abigentes, longamque adoleſcentiam agentes, atque belli tempore ignavos ac timidos milites ad pugnam excitantes. Bene valeant diu, venatum eant, juſtitiam colant, bonumque publicum promoveant, ad *Galatas* 6. à *Deo*, ſupremo beatæ perennitatis arbitro, toto corde voveo.

Tranſivêre patres, & nos tranſibimus omnes,
In coelo patriam, qui bene tranſit, habet.

Plurimi hodie de arctiore & non laxiore annona conqueruntur, me-

cum haud gravatim in memoriam revocent, camino insculptum marmoreo sequens, in Eleeomosynariorum Hagiensium camera, prope portum Delphicum:

Pauperies pacem, dat opes, pax, copia luxum,
Luxus dat Bellum, Bellaque pauperiem:
Fons amor est odii, vita mors, turba quietis,
Stant, qui deciderant, quique stetêre, cadunt.
Et capti capiunt, & qui domuêre domantur,
Fit Victo supplex, qui modò Victor erat.
Sic plebi indomitæ, sic sunt sua fata Tyrannis,
Sic Deus *alternas versat in Orbe vices*

Qualitas intereà Cibationis in Hydropicis, contrarium indesinenter exigit Victum. Cibi sicci humidioribus, assi elixis præferantur longe: Elixi, seminibus convenientibus, herbis, radicibus, aromatibus, avarâ permisceantur & condiantur manu, quo stomachi Zymoma debilitatum à contumaci morbo, commode cibos subigere queat rursus.

Panis, & sanis & ægris optimum est nutrimentum, primò appetimus, ultimo

ultimò amittimus. Sanguinem præ cibis cæteris citiorem & laudabiliorem generat, triticeus ſit, vel ſecalinus, valide ſubactus; in clibano igne moderato coctus, vel biſcoctus, pridianus vel triduanus. Ab Aſciticis meis, panem hordeaceum; avenaceum, vel miſcellum è ſeminibus variis, fabis, lentibus, piſis compactum & piſtum, ad Ruſticos, fabros alioſque relego quadratos, conſuetudo illorum, cùm altera ſit natura, rariſſime ab illa recedunt, longo enim tempore conſueta, quamvis deteriora minus tamen moleſta eſſe ſolent. Et Pharmaca illis etiamſi δραςικὰ propinata, ſæpe nihil operantur, obſervavi in Eſſedario Sueone & ruſtico Leckerkercano, ob texturam Ventriculi rubuſtiorem, fermentum extraordinarium, magis activum, aptum natum, facultates medicamentorum cito caſtrare ac deſtruere, tandem præſentaneo Cimbrorum & Norvegiorum ſpecifico excepi citatos, pluresque alios.

Et quoniam variant morbi, variabimus artes,
Mille mali ſpecies, mille ſalutis erunt.

Melones, Pepones, Cucurbitas, Cucumeres, Mala Perſica & Armeniaca, Pruna, aliaque fructuum genera. Juglandes, Caſtaneas in totum, ſive crudas, ſive toſtas, elixaſve, quod flatus, obſtructiones, dolores colicos, putrefactiones pariant, à menſa Hydropicorum proſcribo, nec non Olerum & Oleraceorum parcum, vel nullum uſum.

E contrà, Malorum citriorum, Aurantiorum, Limonum, Punicorum ſive Granatorum, magnopere uſum Commendo & præparationem legitimam. Nullis finis ex ſe provenit, ſed requiruntur media, quæ primario, juxta unanimem Auctorum conſenſum, *pecunia:*

Eſt mundus Pelagus, Regina, pecunia, nauta,
Navigat infelix, qui caret hujus ope.

Carnes, ad corporis noſtri analogiam

giam magis accedentes & vegetabilibus alentes, hydropicis commendo, Carnem bovillam, non è bove aratore, multo minus ex admiſſario, ſed ex caſtrato, annum quintum vix excedente, qui potius carnoſus quam præpinguis ſit. Vitulina, Vervecina, Cervina, Capreolina, Leporina, optimæ ſemper notæ. Quin & Avium præprimis ſylveſtrium carnes, Perdicum, Attagenum, turdorum, alaudarum, & aliarum haud obſcoenarum, aquasque incolentium, qualis tamen perſona, talis perizoma, Herus non ſervi nec ſervus heri utatur alimonia.

Nulli tuta datur requies in carne caducâ.
Nobilitas ſola eſt, animum quæ moribus ornat.

Caponum, gallinarum juniorum carnes, quibus liberum volandi & errandi exercitium conceditur, jam adductis ſuccenturiari queunt. Nec ſilentio hîc prætereunda ſunt Ova recentia, tremula, ſorbilia, cito & mul-

tum Hydropicos nutrientia, auſim propugnare, quantum ova ponderant, tantum illa ſanguinis ſuppeditant. Omni adhortor ſtudio, variationem eſculentorum analepticorum eſſe inſtituendam, penes Magnates, opportunius & commodius nihil Gelatinis, è carnium recitatarum ſucco:

(Dulcis inexpertis, cultura potentis amici,
Expertus metuit.)

Et Piſcibus ſaxatilibus, quales ſunt Truttæ, Salmones, Lucii, Percæ, Funduli. Interdum Harengi recentes, mira præſtiterunt, τοῖσι κάμνουσι χάριτες.

Embammata generis varii, non inutilia, ùt & Condimenta λεπτύνοντα. de his ob dulcedinem plus ingeritur, quàm decenter digeritur, hinc

Dulcia ſæpè nocent avido guſtata palato,
Votaque damnoſæ luxurioſa gulæ.

Potus ſit parciſſimus, quippe obſervatum ab omnimoda potus abſti-

nentia

nentia per aliquot menſes, imo integrum annum, nonnullos ab horrido affectu noſtro liberatos, priſtinæque reſtitutos fuiſſe ſanitati; Verum enimvero juvamentum hoc flebile ſatque triſte, vix centeſimus, nec dum milleſimus, opiparè & apparatè aſſuetus vivere, amplexabitur, in Dominis plerunque immorigeris rariſſimè, in famulis autem, quos ærumnæ premunt omnes, ſæpicule locum invenit. Aqua cruda, optima licet ſit & fontana, ab Aſcitici procul abſit menſa; quod ſi vero;

Vina fugit gaudetque meris abſtemius undis.

Candente chalybe aquam coquat, cinamomo, flavedine corticum citri, liquiritia, ſarſaparilla farinacea; paſſulis majoribus exacinatis Smirnaeis corrigat & bibat. Imo ad promovendum lotium, Spiritum balſamicum aſſumat rectificatiſſimum, ſummum corporis eſt abſterſivum, atque à putredine prophylacticum incomparabile.

Cere-

Cerevisia pura, optime cocta, parca propinetur manu, pariter ac herbis, radicibus, corticibus præparetur singularibus.

Vinum meracum, liquor ille coelestis, moderate sumatur loco aquæ, mentis, nubes denubilat, cor lætificat, ventriculi pellit imbecillitatem, Sancto Paulo suadente auditori suo Timotheo. 1 *Timoth.* 5. *v.* 23. Homines etiam ad munia sua probe exsequenda, vegetiores & promtiores reddit. In exacta verò Vini Descriptione, curiosum & prolixum pro tempore me non præbebo, dummodo Vinum *Cos* sit, cum annexâ exegesi, Colore, Odore, Sapore. De Mosellano & Rhenano, si sine dentibus, dicunt

Vinum Rhenanum, decus est & gloria mensæ.

Minime verò de Bavarico & Jenense nimis austero:

Heîc ubi nativum colles lachrymantur acetum.

Vi-

Vinum Hiſpanicum & hîc diſconducit, quoniam impedit diureſin; at conducit Vinum meum antihydropicum, ac nonnunquam Hippocraticum ſeu aromatiſatum, quod *Batavi noſtri*, Sponſæ lachrymas appellant, venientibus enim gratulatum Amicis propinari ac porrigi ſolet, juxta Lycurgi Scholam ſobrietatis; *Angli* ſimus neutiquam, qui, *teſte Cambdeno* de rebus geſtis Reginæ Eliſabethæ, ſolemne habuerunt, immodico ſe proluere Vino, aliorumque ſaluti propinando, ſuam affligere & mergere. Papæ! quanta corpori è potu pomeridiano, nocturno ſeu ſomnifero, accedunt incommoda, in Magnatum aulis ac conviviis, ut plurimum Aulicis, quid aulici?

Ore aliud, taciteque aliud ſub pectore verſant.

Tu vero ad hos invitatus, non è perforato poculo bibas, ſed

Eſuriens tantum comedas ſitiensque rigabis,
Ne ſtomachum læſo fortè calore graves.

Com-

Composito mensam decores sermone rogatus,
Exornes paucis seria verba jocis.

Cæteroquin, ventri atque abdomini viventes toti, delicatisque dediti gulis; Vinum immodice haustum, non minus hodie, quam olim Venenum esse ipsis, pronuncio intrepide; λουτρὸν ἐστιν, οὐ ποτός, Balneum est, non potio. Ubi asotiæ indulgetur *Lucæ* 21. *ad Ephes.* 5. *v.* 18. 1 *Thessalon.* 4. *v.* 3. ibi *Deo*, honoribus, juxta & Eruditioni, via intercluditur. Longe, longe inquam, à nobis amoliamur, ne nos incautos opprimat, aut inescatos trahat, veluti hamo pisces in æterni exitii nassam.

Intuere quæso ebrietatis habitum, verba audi, mores aspice, quid videbis? Nihil, nisi ignorantiam sui, dubia & parum explanata verba, incertos oculos, gradum errantem, Capitis vertiginem, motus convulsivos, passiones colicas, enormes vomitus, tremulas manus, genas pendulas, furiales Somnos & inquietem nocturnam.

Suc-

Succincte; nullum plane in animo latet vitium, quod non prodeat: Utpote, patrimoniorum effusiones, egestas, veritas mordax, sanctitas adulterina, furta, cædes; libidines portentosæ, rerumque divinarum læta quædam oblivio, vulgò *Atheismus*, quo proh dolor Belgium scatet, totus docet dies.

Vir pius est animal rarum, paucasque per urbes,
Et per rura locos habet: Et rarissima virtus.

Asina profecto Bileami Atheistas superat singulos *Numer.* 22. Nuper quidam ex his divulgavit scriptum, quod pauper jaceat Diabolus, inque Hollandiâ vivere non posset, ob stipendiaria vestigalia, multa & magna, quæ exercentur & exiguntur; Verum qui adhæret *Domino Jesu* unus cum eo fit Spiritus. 1 *Corinth.* 6. Trahe me, post te curremus *Cantic.* 1. *Deus* tibi totum est: Si esuris, panis tibi est, si sitis, aqua tibi est. Si in tenebris es, lumen tibi est. Si nudus es, immor-

mortalitatis tibi veſtis eſt. Et quæcunque vultis, ut faciant vobis homines, ita & vos facite illis. *Matth.* 7. In ſacris, cogitatione mea quod non aſſequor, veneror. *Dei* eſt, noſſe, mei eſt credere. *Pſalm.* 119. *v.* 6. *Actor.* 16. *ad Epheſ.* 5. *Roman.* 5. In *Jeſu* ergo *Meo*, quies optatiſſima, ſpes firmiſſima, refectio beatiſſima, opulentiaque mea tutiſſima. Amen.

Janua in coelorum pia mors, finisque malorum

In Vitali Diætâ, Aërem ζωοφόρον eſſe, vitam omnibus ac ſingulis largientem, atque neminem abs eo, ne momentum quidem vivere poſſe, etiam me tacente, ſatis liquet, μέγιστος ergo eſt δυναστής. Quantum quimus, Aſcitici conſideratâ diatheſi, aërem eligamus ſerenum, purum, calidum, ſiccum, naturæ qui noſtræ perquam amicus & ſalutaris eſt, κυκλοφορίαν conſervans regularem, lymphamque in tubulis turgeſcentem & inflatam temperans ad prodigium.

Frigidus, humidus, liberam impedit

διαπνοὴν, varias producit obſtructiones, particularum balſamicarum acorem, motumque ſanguinis ſegniorem, nemo facile inficiabitur. Aëris anomalia, ab effluviis telluris, maris atque aliorum corporum, pro vario ſolis dominio exoritur. Quando libero in aëre, ex animi ſententiâ Aſcitici vivere nequeunt, in publico non amplius prodeant, verùm domi lateant, privatumque aërem idoneis corrigant ſuffitibus, ignibus, haud leves Gallorum more portent veſtes & ſæpicule mutent, morborum exîn ſyrma, breviter, frigus non aliter oculis, quàm acidum dentibus, & ſpina pedibus nocet.

Medicus inter hos, aliosque contagioſis morbis infectos, ſi verſari tenetur, tunc crebriorem illi committo exſpuitionem, particulæ hoc paſſu peregrinæ, à lympha ſuſceptæ ſalivali, ne in Maſſam transvehantur ſanguineam, perfacilè impediuntur.

At præſervationis tamen cauſa, debito in præbio, Eſſentiam alexicacam, Theriacam coeleſtem. Pulverem vitam

prolongantem, cui multùm tribuit Celeberrimns Dominus *Joan. Justus Winckelmannus*. Vel Rotulas meas assumat prophylacticas. Sic annuente *Summo* μιάσμας eliminabuntur acriora & valde putrida, præcordia occupantia, Venosum genus laxatum corroborabitur, motus excitabitur pristinus, vigorque tandem conservabitur sanguinis:

Qui caret argento frustra utitur argumento,
Qui dare scit, non qui dicere, Rhetor erit.

In Animali Diætâ, primo occurrunt loco, Motus & Quies.

Motus mediocris, propter obstructionum averruncationem, lymphæ noxiæ exturbationem atque spirituum sopitorum exturbationem, conducit:

Omnibus est cautè jungenda modestia rebus,
Laudatur medio sæpè stetisse loco.
Ergò quicquid agis, tutâ ratione probato,
Exemplique memor, fac tueare modum.

Quies disconducit & puero perspicuum. *ad Ephes.* 5. 1 *Thessalon*. 4.

Curis plenus eris, si vis ut glorificeris.

Somnus sit moderatus, ratione tem-

po-

poris, decubitus, ſitus & loci inſtituatur. Redintegrator eſt virium, propagator laborum, debellator dolorum, immoderatus autem nocet.

Qui fugiunt morbos, facilis medicina paratur,
Dumque ſubeſt fructus, flos, foliumque notant.

De Vigiliis idem eſto judicium, pergrata tolluntur muſicâ, avium concentu, aquarum transfluentium murmure, molendinorum ſuſurro, vel pediluviorum, abſente pedum tumore, ſinguliarium uſu, quorum efficaciam & aliis in morbis deprædicare ſatis nequeo. Malè aliâs habet Medicus, ſi nemo ſe malè habuerit. Malum eſt bonum intempeſtivum, præſtatque mari malorum, tranquillo, quilibet gubernator eſt.

Eſt melius feciſſe aliquid, quàm vivere ſegnem,
Pallas ad ingenium quodlibet apta venit.

Excreta & Retenta, in naturali ſuo conſerventur ſtatu, alvus ſi non reſpondet, ad officium ſuum proſequendum admoneatur, in habendo alvum quotidie mollem & urinæ difficultatem plane

 nullam,

nullam, Sanitas facile custoditur. Neque Sanitatis custos solers, naturæ conatum, cum per sudores à seri superfluitatibus se liberare satagit, impediat, sed potius, mollibus stratis lecti operiendo ad illos se componat:

Nil stabile in terris, quod corruet, ecce movetur,
Quæ sunt principio ducta, vigore cadunt.

Ἀφροδίσια, malum alioquin prædulce hîc intermittatur, atque in memoriam redigatur Anacharsis olim monitum aureum, Mentulam compesce. Voluptas pecorum sane bonum, amplectitur Hectores Veneris, ut strangulet.

Sperne voluptates, siquidem caligine mentem
Turpiter occoecant: Virtutem delige semper,
Sic datur insignis lauri de fronde corona.

Animi pathemata, rectæ rationis fræno moderentur, Medicus Ægrum erigat indesinenter restitutione felici, Ipsique verum ac fidele in formâ triangulari Xenexton, in collo ad Cordis regionem suspendat: Voluntatem Divinam, Fortitudinem & Æquanimitatem,

tatem, infallibiliter tunc *Dei*, Conſervatoris Optimi nutu, hoſtis trux, cum acribus ſuis tormentis ac machinamentis repelletur & devincetur. *Geneſ.* 3. *Eccleſiaſt.* 12.

Cùm fæx, cùm limus, cùm res viliſſima ſimus,
Unde ſuperbimus, ad terram terra redimus.
Corpus inane Animæ tandem foetore maligno
A ſe abigit cunctos.

Demirandum inſuper, quod *Numerorum capite quinto*, de aqua maledicta cum pulvere de ſolio tabernaculi mixta commemoratur, cujus è potu, deterſis priùs maledictionis ſcriptæ literis, atque cum aqua mixtis, venter bibentis Reæ intumuit & femur computruit. Juſtus eſt *Dominus* & juſta ſua judicia, ex univerſali etiam Macrocosmi conſtat Diluvio, quod tamen pro infinita ſuâ miſericordia & inexhauſta bonitatis ſuæ abyſſo, omnipotenti virtute ſua rurſus decreſcere fecit, ſuſcitato Ventorum flabello, undæ omnes abſorptæ, exſiccatæ, tellusque arida in priſti-

priſtino pulchritudinis ſuæ appareret decore. Is quoque ſuavem divinæ Virtutis excitet auram, eamque Medicaminum adſpiret uſui clementiſſimè, quò Diluvium noſtrum in Microcosmo proſperè ac proſpicienter expellatur & fugetur: Microcosmus iterùm exoptatæ conſtitutionis integritate ſuâ gaudere queat.

Faxit hoc Triunus *Deus*, *Rex Regum*, *Dominus Dominantium*, Vitæ, Necisque Arbiter Glorioſiſſimus, ad Sacroſancti Numinis ſui Gloriam & æternum honorem:

Hoc quod largiris, Deus, *en Tibi reddo talentum.*
Quod ſi cui proſim, laudis id omne tui eſt.

FINIS.

ERRA-

E R R A T A

Per incuriam Typographi, quæ irrepſerunt B. L. pro tua perſpectiſſima corrigas benevolentia.

IN præfat. pag. 8. lin. 18. loco ζ. lege ξ. Pag. 9. lin 20. loco ζ. lege ξ. Pag. 10. lin. 4. loco Site, lege ſito. Pag. 12. lin. 10. loco ner. lege mer. Pag. 13. lin. 8. loco cus. lege. cu. Lin. ii. loco οφ, lege ομ. Pag. 15. lin. 1. loco to. lege. tol. in agon. Pag. 9. lin. 4. loco tri. lege teſt. Pag. 15. lin. 6. loco des. lege dis. Pag. 18. lin. 12. loco ſii. lege ſi. Lin. 24. loco par. lege pa. Pag. 20. lin. 9. loco mæs. lege mas. Lin. 15. loco ζ. lege ξ. & ſic porrò. Pag. 22. lin. 1. loco copp. lege cop. Pag. 23. lin. 7. loco ut. lege at. Pag. 30. lin. 16. loco. Fol. lege Fal. Pag. 37. lin. 9. loco tur. lege ter. Lin. 15. loco nis. lege mis. Lin. 16. loco qui lege quæ. Pag. 40. lin. 12. loco lan. lege la. Pag. 48. lin. 10. loco ria. lege rio. Pag. 53. lin. 17. loco peo. lege pro. Pag. 54. lin. 3. loco fio. lege fi. Pag. 61. lin. 19. inceſſus lege fractus, atrophia exitialis, à fruſtratâ. Pag. 83. lin. 19. loco que. lege quæ. Pag. 88. lin. 15. loco du. lege di. Pag. 89. lin. 10. loco nar. lege nat. Lin. 13. loco cum. lege cus. Pag. 96. lin. 2. loco his. lege hi. Pag. 97. lin. 13. loco cae. lege coe. Pag. 99. lin. 16. loco ννι. lege νι. Pag. 100. lin. 17. loco mi. lege me. Pag. 103. lin. 12. loco quin. lege qui. Pag. 108. lin. 25. loco nes. lege nis. Pag. 115. lin. 2. loco berburum. lege berberum. Lin. 3. loco acceto. lege aceto. Pag. 121. lin. 10. loco alioquot. lege aliquot. Pag. 123. lin. 3. loco alioquot. lege aliquot Lin. 23. loco agyrp. lege agryp. Pag. 128. lin. 6. loco Ἴυρ. lege χύτρ9. Pag 135. lin. 19 loco rubus. lege robus. Pag. 136. lin. 17. loco nullis. lege nullus. Pag. 141. lin. 20. loco pet. lege pect. Pag. 144. lin. xi. Janua in. dele. in.

EP-

EPIDOSIS

Ad Momum baubantem.

QUi dudùm læsit, porrò dum lædere nescit,
Latratu victus næ satis ipse suo:
Parcere nunc fertur; veluti dum morbida cessit
Baubantis letho vis rabiesque canis.
Crede mihi, Virtus non est, tum velle tacere,
Gutture cùm rabido vox mala fusa tuo est.

